DISSERTATIO
IOANNIS HENRICI
BOECLERI

DE POLITICIS IVSTI LIPSII.

Acceſſit Oratio,

De hiſtoria C. Cornelii Taciti.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

ARGENTORATI

ANNO CHRISTIANO
cIↄ Iↄc XLII.

VIRO
Ampliſſimo Prudentiſſimoque,
DN.
IOH. WENCKERO,
INCLYTÆ REIPUB.
Argentorat.
Tredecemviro.
Et
Scholarchæ
illuſtribus in patriam meritis longe Eminenti,
Patrono cum obſervantia & fide perpetua colendo,
S. P. D.
IOH. HENRICUS BOECLERUS.

AMpliſſime Vir. Præcipitur inter leges Academicas profeſſionis Hiſtoricæ, *ut ſtudioſæ Iuuentuti, in Hiſtoriarum enarratione, diligenter commonſtrentur fontes ciuilis prudentiæ, & quæ-*

& quæcunque dexteritatem actus publici informare poſſunt, perpetua obſeruationis ac declarationis luce illuſtrentur. Grauiter nimirum conſilii publici ſapientia exiſtimauit, eruditionis Academicæ & vim præcipuam & decus, ad vtilitates vitæ, nec priuatæ modo, ſed inprimis publicæ, in cuius ſinu & tutela priuata latent omnia, referri debere. Cum præſertim non alio inſtituto ſuſceperint laborem Viri ſummi, qui annalibus condendis, apud veteres, exercitam gerenda præclare repub. mentem, denique aduerterunt. Certe minus ſcienter otio vtatur, neceſſe eſt, qui in tanta tam illuſtrium rerum luce, in tanta Pragmatici Scriptoris (nam tales pleroſque, quos miramur, priſcorum haberi par eſt) ſolertia, delicias tantum ſe-
ctari

ſtari verborum, aut flores delibare ſententiarum, in animum induxerit. Longe altioribus gerenda eſt auſpiciis res tam varie ſubtilis, tam ſinuoſe profunda, tam diffuſa ampliter; qualem verſabile ciuilis actus ingenium, Prudentiam vel facere vel requirere ſolet. Commendaui non raro cupidis diſcendi juuenibus *Salluſtij* exemplum: qui in omni vita, inde ab adoleſcentia, quæcunque legerat, audiuerat, ad meditationem ciuilis ſcientiæ, reique publicæ intellectum ſe contuliſſe, aliquoties ſignanter teſtatur. Eximius eſt & ſatis notus ille in Catilina locus: *Mihi multa legenti, multa audienti, quæ populus Rom. domi militiaque, mari atque terra præclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quæ res maxime*

tanta negotia ſuſtinuiſſet. Memorabilis *attentio :* quæ & copiam diſciplinæ, & aſſiduitatem diſcentis, & iudicium obſeruantis, & vſum argumenti cum ſcopo totius, quæ hic ponitur, operæ complectitur. Ac videre quidem, quo ſint omnia referenda, haud paulo facilius fuerit, quam referendi artes, vt ita dicam, & vias accuratius cognoſcere. Qua in parte tum ampliſſima, quotquot ſunt eruntque, doctis ac prudentibus, induſtriæ occaſio patet ; tum *inſignis manuductionis* ſpecimen *Iuſto Lipſio* debetur. cuius *Politica* veriſſimo hoc, nec alio, nomine iudicioque appellitaueris. Nihil aliud, inquam, in animo habuit Vir Doctiſſimus, cum Ciuilis Doctrinæ deſcriptionem, noua illa forma adornaret, quam *vt per deſignata ma-*

ta magni itineris ſpatia in Hiſtoriæ potiſsimum meditationem, adeoque in ipſa prudentiæ actuſque ciuilis penetralia, veluti manu capaces diſcipulos perduceret, fontibuſque rerum recluſis, dimanantis in remp. diſciplinæ alueum, intra ripas quaſi quaſdam Vſus & Actionis, concluderet. Sed enim conſilii ſollertia, compendii concinnitas, diſpoſitionis cura ac delectus minus facilem eam ſcriptionem reddunt Lectoribus, in Hiſtoria optimorumque auctorum ſeria tractatione non admodum exercitatis. Sicut nec occupationes quorundam ferre videntur, vt altius veſtigent ſingulare Auctoris inſtitutum. Quocirca ex officio me facturum arbitratus ſum, ſi induſtriæ Lectiſſimorum Iuuenum non ſemel id à me requirentium

 quali-

qualicunque ſtudio & admonitione obtemperarem, *Lipſianæque in Hiſtorias, prudentiæ parandæ ergo cognoſcendas, introductionis rationem*, breuiter & rudi delineatione conſignarem.

Quod equidem diſſertationis meæ propoſitum, ſicut facile bonis omnibus approbari poteſt; ita, cur Nobiliſſimo nomini Tuo, *Vir Ampliſſime*, inſcripſerim tam tenue opuſculum, declaratione potius videtur indigere. Nam ſi dignitatem, ſi curas Tuas, ſi prudentiam doctrinamque ſpecto: nihil hic prorſus Te dignum adfertur aut deſcribitur. Sed nimirum obſeruantia, qua Tuas Virtutes colo; & Patrocinium, quod ex muneris pariter ac humanitatis Tuæ comitate ſpero ambioque, non difficulter me impulerunt, vt

quali-

qualicunq; indicio, non tam quid Tuæ celebritati debeatur, quam quid dicatæ Tibi mentis gratitudo poſtulet, attenderem. cum præſertim ipſa temporis conſideratio, maturationem huius officii vltro ſuadere videretur. Erit enim forte, vt inter eximias gratulantiũ *Nouo Scholarcha* voces, mea quoque pietas admittatur: ſinceritatem votorum, ſpei, cultuſque, ſine adulatione & fuco profeſſa. Laudes Tuas nec paginæ huius modus, nec ſtili huius ſimplicitas capit. quæ, vt aiebam, nihil aliud ſibi propoſuit, quam teſtationem eius lætitiæ ac expectationis, quam cum vniuerſa Academia de fauore in rem ſcholaſticam Tuo ingentem concepi: & nuncupationem voti pro rep. ad cuius emolumenta Tuam incolumitatem, vitam,

Salu-

Salutem pertinere, ſerio reputamus. Præter illa, eſſes mihi ſeorſim exorandus, *Patrone Magne*, vt mea quoque ſtudia & labores, non ſpecioſos illos quidem, ſed cum fide & cura in remp. coniunctos, reſpiceres ac aduerſum caſus temporum defenſares: niſi compertum haberem, nullum eſſe litterarum genus, quod ab amore Tuo tutelaque alienum credere ſuſtineas. Deus Te conſeruet, SCHOLARCHA BENIGNE, FELIX, GLORIOSE. Scribebam Argentorati cIↄ Iↄc XLII. menſ. Maii d. VII.

DISSER-

66

DISSERTATIO DE POLITICIS *Lipſianis.*

CAPVT PRIMVM

CONTINET HVIVS SCRIPTIOnis occaſionem, & Lipſiani operis commendationem.

QVæſiuerunt ſæpe ex me amici & bonarum artium ſtudioſi Juvenes, *quemnam è Politicæ doctrinæ ſcriptoribus, amandum potiſſimum eius ſcientiæ cupido, verſandumque arbitrarer?* Commendaui ſemper è Veteribus, *Ariſtotelem*; inter recentiora nomina, *Lipſium* dixi eminere. Vtrumque enim opus ſingulare haberi & incomparabile debere, videor mihi (ſicut ex dicendis poſtea patebit) confirmare poſſe. Atque hæc ita ſunt à me tum exiſtimata, tum dicta, vt ſedulo interim admonerem: *perfectionem civilis prudentiæ atque fundamenta abſque veræ religionis Chriſtianæque pie-*

pietatis auſpicio obtineri nunquam poſſe; ſed poſt altiorem illam huius ſtudii regulam, *neminem accuratius naturæ, rationis, diſciplinæ fontes, quatenus huc pertingunt, recluſiſſe, Ariſtotele; nec Lipſio alium eſſe potiorem, qui in veram actionis humanæ palæſtram agendorumq; penetralia, Hiſtoriarum ambitu concluſa, rite perduceret.* Addebam ſubinde aliqua, quæ profundioris inſtituti Lipſiani quaſi quendam guſtum cupientibus præberent.

Quo factum eſt, vt pridem efflagitaretur à me, planior totius rei expoſitio, difficiliorisq; diſciplinę præuia deſignatio. nec enim cuiuis facile erat, reperire, ad quæ digitum intenderam: nec defuere paſſim, qui alia hic potius omnia admirarentur, quam quæ vnice videntur admiranda. Placuit ergo, Nobiliſſimorũ ac florentiſſimorum quorundam Juuenum honeſtæ voluntati aliquot horas dicare: eademq; opera illis etiam reſpondere, qui Lipſiana Politica laudari ægre ferunt & tantum non indignantur. Equi-

Equidem *nævos eius corporis* nec ignoro, nec excuſo. fortaſſe & quædam animadverti poſſunt, quæ ſeueri cenſores, ſed parum attenti, præterierant. qua de re infra, ſuo loco, agetur. Eſſet tamen haud dubie ituri in latam noxiam exempli res, propter quædam male dicta, etiam bene dicta damnare: & ob aliquam vafritiei mixturam (quæ à plerorumque ſyſtematibus abeſſe interim creditur potius quam demonſtratur) reiicere omnem eam inſtitutionis artem, quam apud alios fruſtra quæras.

Id quod in antèceſſum hic & vniuerſim affirmatum, ſigillatim deinceps ac per partes declarabitur: ratione ſcriptionis ita diſpoſita, vt & breuitati ſtudeamus argumentorum, nec latere tamen in profundo momenta incomparabilis illius grauitatis patiamur maieſtatiſque. quam ſolam, cum cetera pleraque in ſuum opus tranſcriberet, intactam auctori reliquit inobſeruatamq; Hiſpanus *Chokier.*

Diligenter autem rogatos volo, quicunque hæc legent, ne prius meam de Lipſiano Politicorum opere ſententiam ſuæ cenſuræ occaſionem faciant, quam totam hanc diſſertationem, ad finem vſque, cognouerint. Æqua me opinor poſtulare, & ab æquis lectoribus facile impetranda.

CAPVT SECVNDVM.

SINGVLARIS LIPSII DEXTEritas in conſtituendis veræ prudentiæ fundamentis, deſtinandoq́ue conſtanter ſcopo commendatur: interiecta Methodi laudatione.

PErtinet ad intelligentiam & ordinem noſtræ diſſertationis, vt à quibuſdam, minus profundæ obſeruationis annotationibus, ad cetera viam auſpicemur. Non itaque præteriri debet *illud Politicæ Lipſianæ robur, quo & fundamenta ciuilis prudentiæ valide communiuit, & metam veram directamq́ue ſemper in oculis habuit.* Eundum nobis eſt

per ſingula hujus propoſiti conſilia, vt, quod dixi, recte arbitremur.

Diſtinguenda ſunt, ante omnia, *quæ ad civitatis rerumque ciuilium hiſtoriam & cognitionẽ pertinent*, ab iis, *quæ ad Civitatis gubernationem, civiliſque actus prudentiam ſpectant*. Ibi quædã peritia & *cognitio* rei politicæ: hic *conſilium & prudẽtia*, vere ſic dicta, locum habet. Si quæras, *quodnam ex his in Politico viro, in ſcriptore item aut actore ciuili emineat?* reſpondebo: vtrumque requiri, ſed longe facilius & tradi & diſci, quæ ſunt γνώσεως πολιτικῆς ſiue *Cognitionis politicæ*; quam illa, quæ ſunt φρονήσεως πολιτικῆς, id eſt, *vbi non tam eſt res cognitionis & memoriæ, quam iudicij, ſolertiæ, induſtriæ, adeoque prudentiæ illius, quæ & ſubtiliſſima & profundiſſima omnibus ſui partibus merito habetur*. Exemplum nobis præbeant *illi Scriptores Ciuilis Doctrinæ, qui ſyſtemata ſua, ad ius publicum ſtatumque imperii, notitiam conſuetudinum, ſcientiam Ordinum*, vt ipſi profitentur, *dirigunt*. Ex his plerique, *ad cognitionem politicam &*

hiſtoriam illam exteriorem multa, ad *prudentiam & artem imperandi penitiorem* pauca tradunt. Neminem eo nomine nunc reprehendimus: ſed Juuentus vtique ſcire debebat, quid *iuuaret* quomodocunq; prudentiam ciuilem, quid *doceret*: quantum item *ipſa prudentiæ occupatio* diſtaret *ab eo, circa quod occupatur, & in quo ſuas artes explicat.* Atq;, niſi vehementer fallor, *aliud utique eſt*, hiſtoriam rerump. notitiam morum & legum, deſcriptionem regnorum profiteri; *& aliud*, regendæ tractandæque reipub. prudentiam polliceri. quod poſtremum qui faciunt, debent profectò *ipſa potius prudentiæ fundamenta, ſcopum, rationes ſequi*, quam cognitione alia quauis animum diſcentis perturbare, aut à directo conſtantique metæ intuitu diſtinere. Non id volo, quaſi præcepta prudentiæ, ejuſmodi exemplis illuſtrare nefas eſſet: ſed *exempla præceptis competere, cognitionem quarumuis rerum cum diſciplina prudentiæ non confundi, & hanc præcipue ſpectari poſtulo*, idq; in iis

in iis operibus, quæ *inſtitutionem ciuilis doctrinæ* promittunt. Quo nomine *Lipſius* palmam haud dubie meretur, qui *regiam illam Prudētiæ viam*, dimiſſis vulgarium confuſionum ſemitis, *firmo gradu decurrit*, vereq; ſe *intra orbitas vſus & Actionis* (quod in præfat. pollicetur) *continet*. Non monerem tam diligenter rem obuiæ arbitrationis, niſi perſæpe obſeruaſſem, miſerrime falli plurimos adoleſcentum: qui farragine ſyſtematibus illis familiari abrepti politicum ſtudium ad meras temporis delicias, & inaniſſimam linguæ volubilitatem referebant.

Cui errori en firmum à Lipſio remedium: *Ille ad ipſa reipub. noſcendæ pariter ac gerendæ penetralia iter emunit; prudentiæ auſpicia, fontes, adminicula ſedulo demonſtrat; actus ciuilis connexionem in rep. conſequentiam in euentu, amplitudinem in contextu, ſubtilitatem in circumſtantia, artem in exemplo, partim figurat, partim inſinuat.* Idque ea *Methodi* (quæ & ipſa cum elogio excellentiæ hic me-

moranda eſt) *grauitate ac commoditate*, quæ naturam argumenti & ſequitur intime, & exacte decet. *Structura totius operis* talis eſt, vt agnoſcas *ſolide conſtitutum, nec anguſte eductum, apte ordinatum* (ornatui enim nihil hoc reſpectu tribuerim, niſi quod ex facie tam elaborata ſponte emergit) *ædificium*. *Diſtributio partium magnifica, plena; ſed eadem vt minime conciſa in minutias, ſic ampliſſimi complexus ſpatia ſerie exquiſita diſtinguens. Noua plerumque arte, magnaque cogitandi ſolertia, plurima, quibus vix locus videbatur in hoc opere patere, tam idoneam ſedem nacta ſunt, vt nata ibi potius, quam accita videantur, neque vt furtim introducta latent; aut tanquam vi obtruſa, indecore eminent: quinimo prorſum ita videbatur iudicium viri prudentis in docendo poſtulaſſe, & memoria ſtudioſi prudentiæ ad diſcendum optauiſſe. Filum aliquando ſubtile & veluti arcano textu per latentes vias proficiens* maximam attentionem deſiderat. ut obſerues, *quam opportune te à theſi* (vt nunc ita loquamur) *ad hypotheſin*

theſin non tam perducat quam inuitet; vt intelligas, *qua cognatione, originiſque aut vſus neceſſitudine, ordinariam actus civilis rationem* vel *prudentia* πειραστικὴ *temperet, ſubleuet, suppleat, comitetur*; vel κακοπραγμοσύνη *inſidioſe ſubeat, fallaciter pingat, improbe corrumpat.* Quo factum eſt, vt profecto vix quiſquam Doctorum ciuilis diſciplinæ plura maximis etiam voluminibus tradiderit: modicoque libello, & in ſyſtematis modum adornato, non ſyſtematicæ modo præceptionis copia, ſed applicationis practicæ dexteritas, vna eademque opera exhibeatur. ſcilicet didicerat hanc ſcribendi profunditatem *Lipſius* partim ab *Ariſtotele*, qui in Politicis ita præcipit, vt præceptionis vſum, in ipſo præceptionis genio, quodammodo oſtendat; partim à *Tacito* ſuo, qui ἀκρίβειαν τῆς ἐπιστάσεως καὶ κρίσεως *ſubtilitatem*, inquam, *obſeruationis ac iudicii*, quamuis in diuerſiſſima ſcribendi ratione, perito imitatori tamen commodare potuit. Addantur cetera, quæ breuita-

tis ſtudio, nunc non amplius quam nominamus: *Deſcriptionum ſuccincta & ad actus ciuilis indolem animoſe cordateque accommodata grauitas, expoſitionis contracta amplitudo; materiarũ in pertinentia extenſio; limitationum, diſtinctionum, ſententiarum perpetua ſpecimina, fundamenta, inſtrumenta*: quæque ad hanc formam plura, obſeruatio attenti & inquirentis induſtria complectetur.

Atque hæc ipſa methodi præſtantia pertinet vel maxime ad *intentam directamque ſcopi nobilioris deſtinationem*, de qua paulo ante diximus: ſed nec parum reſpondet *fundamentis*, de *quorum conſtitutione* pauca nunc dicemus. *Totus liber primus Lipſiani operis* eſt *προπαρασκευαστικὸς*, *præmoliendis vitæ pariter ac prudentiæ ciuilis fundamentis occupatus*. In quo labore, non quæcunque poterant expendi, ſed quæ noſtro inſtituto videntur proxima, conſiderabimus.

Occurrit nobis ergo inter prima, *ſingulare architecti*, vt ita loquar, *circa fundamenta conſilium. Virtute & pruden-*

tia,

tia, niti omnia & ſingula in actu vitaque ciuili, ait. Neminem habebit in eo manifeſte diſſentientem: quin apud pleroſq; talia videas iactati. Ita eſt omnino: ſed obſerua quæſo, quo diſcrimine aliorum philoſophia hic in diuerſum abeat. *Quidam* de virtute ita loquuntur, vt, omiſſo *pietatis* reſpectu, *probitatem* ſolam, ſæpe nec integram attendant: *quidam* de alterutra, aut utraque aliquid mentionis iniiciunt, ſed perfunctorie, aut confuſe, aut inepte. *Perfunctorie* nimirum, cum ut de re aliquam ſui vtilitatem præbente, non expreſſo vtilitatis modo aut neceſſitate, ſed inumbrata potius vi præcipua, verba fiunt. *Confuſe,* cum ſine ordinis aut applicationis dexteritate modo diſiungitur prudentia à virtute, modo vniuerſim aliquid & adeo in vanum iacitur, vt ab Ethico etiam, (cuius hic θετικὴ videtur opera eſſe, cum Politici ſit ὑποθετικὴ) propiorem virtutis prudentiæque ad actum & negotia accommodationem, expectare poſſis. *Inepte*

autem, vel maxime ideo, quia loco minime digno, vſque plane alieno inculcantur iſta. Non, inquam, *vt Fundamenta* conſtituuntur vitæ Imperiique ciuilis, *Virtus & Prudentia*, ſed vt qualiacunque adminicula memorantur. Certe quod Iuuentus civili vitæ ſtudioque conſecrata, multum ſibi ſapere in Politicis ſæpe videbatur, cum interim virtutis raro in hos vſus meminiſſet; quod in ipſo rerum actu poſtea vix admiſſa nonnunquam, & irriſa virtus eſt; quod ſuperbæ & ſegregis à virtute Prudentiæ ſimulacrum ſiue idolum in auguſtale rerump. ut in delubrum ſeſe collocauit: eius ego rei tum alias cauſſas ſcio, tum hanc non in poſtremis numero, *quod ſcriptores & Doctores rerum Politicarum alia omnia validius à viro civili requirebant, aut in eo commendabant, quam virtutis rectitudinem, Religionis grauitatem, conſcientiæ innocentiam*. Non dico, plane prætérita hæc talia eſſe: interim quantum hic differt, prætériiſſe, aut loco non ſuo

con-

conſtituiſſe? Itaque *Lipſius* ſingularem mihi ſemper laudem videbatur mereri, quod contra ſæculum ſapere auſus, Vitæ Ciuili *Duos* non qualeſcunque adiutores, ſed RECTORES dedit *Prudentiam & Virtutem: Illam ex plurium mente* (qui tamen neque hic ſemper ὀρθοποδοῦσι) *ſed & hanc* Ex SUA. vide 1. pol. c. 1. n. 4. vbi aureum iſtud & vere fundamentale dogma iacit: *Ciuem vere bonum nullum arbitror, niſi & virum*. Nam quod *Ariſtoteles* 3. *pol.* 3. *diuerſam eſſe viri boni & ciuis boni virtutem*, aſſerit; de diſtinctione rei, non de mutilatione actus capiendum eſt. in quo cum amice & intime conſpirent ciuis boni & viri boni artes, reip. robur diſſoluat neceſſe eſt, quiſquis diſſidio aut ſeparationi hic locum relinquit.

Sicut autem prima Architecti cura in eo verſatur, vt eligat, *quid fundamenti ſolidioris loco conſtituat*: ita proxima occupatio, *in ipſa iaciendi conſtituendique ratione, ſpatio, menſura* cernitur. Non ſufficiebat hic *virtutem* nominaſſe, in

Pietatem & Probitatem diſtinxiſſe, Pietatem *in Senſu & Cultu* commendaſſe: ſed vt victuro robore hæc ciuilem actum ſuſtinerent, *Fatum & Conſcientia* merebantur inſeri, quorum reſpectu ac veneratione Pietas hic eſt Pietas, ut ſic dicam; id eſt, in ciuilem vitam valet transferturque. O quantum nervorum, quantum vigoris haberet Ciuilis adminiſtratio, ſi reverentiæ fati, ſi ſtudio conſcientiæ conſtanter & bona fide, quod hic voluit *Lipſius*, inniteretur! Licet enim de religione Lipſii nil cauſſæ eſt cur magnifice ſentiamus; licet in hac ipſa de Pietate fatoque tractatione quid deſiderari merito poſſit, non ignoremus (ſicut infra monebitur) tamen plurimos profecto in ruborem dedit, qui Politicæ informationis ergo, parum ſibi huc reſpiciendum autumarunt; ſimulque oſtendit, tantam eſſe huius præceptionis neceſſitatem, vt eorum etiam animos, qui ad veram Pietatis vſurpandæ rationem cæcutiunt (à gentilibus enim ſumſit, cum

quibus

quibus & caligat alibi) conuincat arguatque. *Prudentiam* quoque, non vt plerique magnifici nominis elogio aduocare ſatis habet, ſed indolem geniumque eius ex ipſo natalium honore ad fulciendum opus adhibet. Qua occaſione, non vulgaria ſunt, quæ de *Vſu rerum*, de *Hiſtoria*, de *Doctrina*, diſputat: adeo vt nemo illam materiem πολιτικώτερον & πραγματικώτερον deſignaſſe, videri poſſit; pleriſque inter nimium & parum obhærentibus.

Iactis ad hunc modum ſolide, ſolidis fundamentis, conſequens eſt, *vt proxima, quæ è fundamentis ſurgunt, apte cohæreant, & vniuerſa quæ inædificantur, firmiter ſuſtenientur.* Virtuti & Prudentiæ omnia ſuperſtruxit: ante omnia ergo quibus viribus artibuſque potiſſimum hic vteretur Virtus, *libro ſecundo* monſtrauit: nec minus Prudentiæ actum ciuilem ſuſtinentis ſeriem, qua ſuſtinet, partim *libri Tertii*, partim *libri Quarti initio*, deſcripſit: poſteaque *duobus, quos modo dixi, libris, Quintoque* inſuper

ſuper & *ſexto*, occupationem & diſpoſitiones prudentis in Rep. Principis, per omnes ciuilis negotii ac imperatorii conſilii partes, ita pertractauit, vt ſtatim apparere poſſit, vnde ſingula, quæ præcipiuntur, prodeant; quam valide, fundamentis ab initio iactis incumbant; vbi nouo & è cæteris nato fulcimento communiantur.

CAPVT TERTIVM.

DE NOTITIA ANIMORVM, INter fundamentalia præſidia à Lipſio relata: politiciſque characteribus in toto paßim opere ſubtiliter expreßis.

DVm in Fundamentorum conſideratione verſamur, non omittendum eſt illud, quod fundamentalibus huius ſtudii præſidiis merito accenſeri debet: eoque reſpectu, paulo accuratius & rarioris induſtriæ exemplo in Politicis Lipſianis tractatum reperitur. *Notitia enim animorum, ingeniorum, morum* eſt, cui præcipuos prudentiæ neruos debemus. Actiones ex ingenio

nio emergunt; actionum forma ſimilitudine ingenii agentis imbuitur; actionum conſilia pariter & euenta iuxta conditionem ingenii ſtant caduntque. Ex varietate non ingeniorum modo ſed ingenii, varietas maxima naſcitur actionum & difformitas. Deniq; quidquid in actione cognoſcitur, ad ſimulacra potius actionis pertinet, niſi ex agentis animo tanquam è fonte penitiorem rerum naturam deriuaueris.

Id cum probe intelligeret *Lipſius*, ſingulari ſtudio, arteque mirifica, de qua nemo eorum, qui ſyſtemata ſcripſere, cogitauerat vnquam, toto paſſim opere *Animorum ſecreta* recluſit. Perſpicuitatis cauſſa in *duo membra* partiemur illius curæ exemplum. Poteſt alia *Notitia animorum* vocari *Generalior*, ſicut de *Vulgi ingenio*, itemque *Regum ac regni indole lib*. 4. *c*. 5. & 6. diſſeritur: alia *ſpecialior* eſt, patetque in immenſam illam ſtudiorum propenſionumq;, quibus ingenia in diuerſum abeunt, varietatem; cuius declaratione nulla operis pars vacat.

De

De illa, non opus eſt, vt multa dicamus; cum *Lipſius* ipſe vtrumque, quod præcipuæ hoc loco conſiderationis eſſe debet, diſerte complexus ſit: *Quantum nempe in ea cognitione ſit momēti*: &, *Quomodo Præcepta inde vniuerſim ſigillatimque ſint petenda*. Grauia ſunt, multumque in receſſu habentia, ideoque paucorum captui expoſita verba, vbi cum Duos Prudentiæ in Humanis fontes tribuiſſet, *Naturam populi*, & *Naturam Regni*, addit: *Sane cum omnia diſpexeris, nihil reperies perite ad gubernandum olim aut nunc monitum, cui non hinc ſcaturigo*. Veriſſime. neque dixit modo, ſed probauit. Lege, quæ per totum deinceps opus præcipiuntur; & de cauſſis præceptorum ac monitorum cogita: ſtatim redibis ad duo illa capita (*lib*. 4. *c*. 5. & *6*.) vbi Duo fontes, quos dixi, ſe explicant. Etiam quæ præceſſerunt, *in primo & ſecundo libro de Virtute*, in *Tertio*, *de conſiliandi arte, prudentiaque*, profundius meditata, inde ſuas quaſdam rationes & illuſtrationes mutuabuntur.

Illud

Illud non prætererim: *In cap. ſexto l.4. quædam tradi, quæ non tam Regi ex natura regni, quam tyranno ex dominationis indole competere, ideoque arcanis dominationis* addenda, videntur. Quo conſilio id factum ſit, non indiget admodum dubitatione. *Lipſius* ea reſpexit, *quæ in regnis ferme omnibus fiunt.* Sicut autem *Tyrannides* propterea vocare omnia, inhumanum & temerarium fuerit: ita hebetudinem iudicii prodet, qui non obſeruabit; *regna & Principatus præſertim abſolutiores trahere aliquid ex confinio tyrannidis.* ſeu humani ingenii ea imbecillitas eſt, vt infinitam poteſtatem inæqualius aut inconſtantius ferat; ſiue conſultorum adiutorumque ſtudia, negotiorum caſus, curarum moles tale aliquid bonis etiam Principatibus aſpergunt; ſiue denique vſitata magnæ fortunæ pericula & frequentiſſima in inclinandis moribus poteſtas, cum exceptione altioris & aduerſus illam poteſtatem cauti animi, accipi debet. Lucem capient, quæ diximus,

ximus, ſi conſideretur amplius *Lipſium hic de regnis non in Idea quadam loqui, aut quatenus laudabilia tãtum in iis ſpectamus, ſed exempla omnis æui fatumque, adeoque imperfectiones, quæ vbique adhærent, indeque exorientia odiorum & inſidiarum* (quæ diſerte tangit) *pericula, in animo habere.* Cum præſertim totus hic locus non ſit *approbationis* ſed *deſcriptionis*.

Characteres Politicos quod attinet, id eſt, *ſpecialem iſtam animorum notitiam*, quæ & late patet, & in omni prudentiæ argumento inſignem vſum præbet, ita hic verſatur *Lipſius*, vt & *multitudinem* in tam modico volumine; & *contextum*, in tam adſtricta forma; & *vim* in alia & plura, quam videtur contextus præferre, valentem admirari liceat.

Producam aliqua è multis exempla. *Libro* 1. *cap.* 6. vbi de virtutis altera parte, ſiue *Probitate* agit, exempla è medio Ciuilis vitæ actu maxime inſignia petit, eaque χαρακτηριστικῶς à magnis ſcriptoribus expreſſa. *Probitatis nomine, ti-*

tulo

tulo, ſpecie omnia plena plerumque in rep. eſſe, vult dicere: ſed hic diſcernendos & veluti nota quadam ſignandos, *quos ambitio falſos fieri ſubegit, magiſque vultum quam ingenium bonum habere* (vide hunc characterem apud *Salluſt. Catil.* 10. & ſimul deprehendes, hanc probitatis ſimulationem, vitæ ſocietatiſque ciuilis, adeoque ſtatus publici felicitatem ac rectitudinem corrupiſſe) eſſe alios qui, pecuniæ præſertim ſubſidio, potentiam & dignitatem, & per hæc famam virtutis adepti, *Clari* tamen *magis quam boni* mereantur haberi (vide quo ſenſu ac fine *Tacitus* 2. H. 10. *Vibium Criſpum* ita deſignet, & ſimul conſtabit: tales homines virtuti & Probitati conſentanea aliquando in rep. ſuſcipere, verum non virtutis & probitatis ſtudio, ſed affectu & priuatis ſtimulis, quibus dum obſequuntur, interim publici decoris gloriam affectant) viri autem vere ac ciuiliter boni, probitatiſq; publice vtilis ſtudioſi longe aliam eſſe notam, qua nimirum apud *Sallu-*

ſtium

ſtium Cato inſignitur, *qui eſſe quam videri bonus malebat*, ſiue, vt *Velleius* vim huius notæ euoluit, *qui nunquam recte fecit, vt feciſſe* videretur, & quæ plura reperies in tam memorabili charactere. omnino enim adeundus eſt vterque locus, quorum *ille* quidem ipſa comparationis euidentia laudem, quam diximus, illuſtrabit; *hic* grauitate expreſſionis & vbertate, profunditatem eius commendationis declarabit: vtrobique vero, id quod proprie huc pertinet, cognoſcetur; *quantum ciuilis vita, publicaque ſalus & gloria, præſidii in talibus viris repoſitum habeat.* Nondum ſufficit iſta obſeruaſſe: per partes & quaſi ſpecimina Probitatis ſignandus eſt actus virorum tam publice vtilium. itaque, ne de ceteris nunc dicam, quam illuſtris eſt character, quo *Tacitus* 4 H 5. eodem, quo ceteri Catonem, propoſito, *Heluidium Priſcum, cunctis vitæ officiis æquabilem, opum contemtorem, recti peruicacem, conſtantem aduerſus metum* memorauit. Hæc loca dum adducit *Lipſius*, habe-

habemus Probitatis ciuilis non deſcriptionem qualemcumque, ſed euidentem notationem, illuſtribus exemplis nixam, operibus præcipuis fecundam, comparatione diuerſitatis diſtinctam, vſu publico nobilitatam.

Plane ad hanc formam, *caput* 10. *lib.* 1, *vbi de Doctrina, quatenus ea ciuili prudentiæ ſeruit, agitur*, ſuppeditabit tibi characterem *hominum inutiliter doctorum*, in Græcorum exemplo *ex Salluſtio* (n. 8.) *cum improbitate & ſimulatione-doctorum*, ſiue *nequiter-eruditorum*, in Egnatio & ſecundo Carinate *Taciti* (n. 9. 10. 11.) & ex diuerſa parte, *viri grauiter & efficaciter docti* in Heluidio (n. 12.) *temperanter & caute docti* in Agricola (n. 16) vt eadem opera nimirum *tum noxa*, quæ ex affectatione doctrinæ & inani ſpecie, *tum vtilitas*, quæ ex cordato ſapientiæ ſtudio, denique *vtilitatis iſtius varietas*, quæ ex diuerſis laudibus, æquali emolumento, in rempubl. redundat, claris ſub exemplis deſignetur.

In

In *ſecundo libro, Virtutes Principis* ita conſiderantur, vt ſubinde *practica quædam ex ſcriptoribus notæ* vel profundiorem aliquam ὑπόθεσιν indicent, vel conſilii in agendo viciſſitudinem demonſtrent, vel directam vim oſtendant, vel obliquam artem inſinuent, vel apparatum commendent.

Quam eximii ſunt characteres, quibus in *Tertio lib. homines ad aulæ negotia, ad aulæ ingenium, ad aulæ pompam, ad aulæ ſimulationem, ad aulæ calliditatem, ad aulæ varietatem, caſuſque, diverſis quiſque animorum dotibus aut vitiis idonei,* ſub vetuſtis nominibus deſcribuntur! Nam ad ſingula nunc ire non licet.

Multum poteſt in commutandis hominum voluntatibus & ad ſingularem ſtudii propenſioniſque notam reformandis *ætas, conditio, fortuna, tempus, locus, vitæ genus,* & ſimilia. Itaque cum expreſſione characteriſtica accipi debent illa: cum e. g. *Curtius* Ægyptios *vanam gentem & nouandis quam gerendis rebus aptiorem* dicit; cum *Græcorum*

tempo

temporaria ingenia, *Inſularium improbior animus* paſſim ſcriptoribus memoratur; cum *Iuuenes fluxi & dolis capi faciles* Salluſtio exiſtimantur; cum idem Auctor *ſemper tenuiores opulentioribus inuidere*, obſeruat; cum, *apud victos plus querimoniarum quam animorum eſſe*, item, *per victoriam & res ſecundas etiam egregios duces inſoleſcere*, Tacitus monet; cum illa paſſim ſuggerit (nam abundat hac notationum philoſophia) *tyrannorum animos ad omnes ſuſpiciones pauidos, dominationis cupiditatem cunctis affectibus flagrantiorem*, *diſſociabilia eſſe Libertatem & Principatum, vernaculam multitudinem laſciuiæ ſuetam, laborum intolerantem*; quæque id genus plurima occurrunt. Talia, inquam, ſicut apud ſcriptores, præſertim Hiſtoricos, χαρακτηριστικῶς, adeoque, cum fundamento iudicii & philoſophiæ politicæ vſurpātur; ita Lipſiano operi tam copioſe, tam opportune, tam ſignanter inſerta, plurimum Prudentiæ ſolidioris neruis concinnandis ſuſtinendoque actus

ciuilis ingenio, ea inſeruire intelligendum eſt. Eat cordatus Lector per lib. IV. V. VI. & obſeruet diligenter, *quæ præceptiones generales ex his fontibus deſcendant; quæ præceptiones ſingulares, id eſt, cautiones è profundo, obſeruationes ex abdito, limitationes è contiguo, emergant ac exoriantur, nonnunquam & cooriantur.* Videbit, alios complures incidiſſe in hæc talia, Lipſium intraſſe, & ad intrandum amplius (in Lectione puta ſcriptorum) iter emuniuiſſe.

CAPVT IV.

QVO PRÆCIPVA LIPSIANI OPERIS præſtantia, in DELECTV AVCTORVM ET LOCTORVM, *particulatim expenditur.*

PRogredimur ad primariam & fortaſſe pauciſſimis perſpectam ſatis *Lipſiani* operis commẽdationem. Scripſit Politica ſua *Forma inuſitata & noua: ita vt è Scriptoribus Antiquis verba pariter mutuaretur, & rem ipſam, velut è patria quadam nobiliore arceſſeret.*

Hoc ego inſtitutum ita à pleriſque

Lecto-

Lectoribus animaduertebam æſtimari, vt incunditatem ſequerentur verborum, graues ſuaueſque ſententias, velut in breui florum corpuſculo, arridere ſibi paterentur, amarent figuras & illam ſtili Lipſiani καινοπρέπειαν, quam neque hoc ſcribendi genus plane excluſerat. Denique ſumma iudicii affectuſque in eo ſtabat, ſi Auctoritatem Illuſtrium ſcriptorum, in hoc opere, vt in conſpicuo monumento, propoſitam generatim admirarentur.

Verumenimuero, illius *Auctoritatis rationes*, longé altius ſunt repetendæ illis, qui vel *vſum huius operis*, vel *excellentiam grauitatemque*, quam Lipſius ipſe aliquoties prædicat, penetrare cupiunt. Id quod nemini factu erit facile, niſi qui cum ipſis, ex quibus ſumuntur hæc Politica, ſcriptoribus arctiorem familiaritatem habuerit. Quam ſane multi iactitant, prorſus autem pauciſſimi intelligunt.

Non morabimur in veſtibulo, ſed ingrediemur in domum. Alias vel *Syl-*

labus ille Auctorum ſiue index, quem præmiſit operi Lipſius, poſſet nos admonere, de non-temnenda felicis conſilii ratione. *Ipſum totius Græcæ Romanæque antiquitatis nucleum*, ſiue *quendam grauioris ſapientiæ veteris Senatum* ibi videbimus, *digniſſimaque Prudentiæ Studioſi cognitione nomina, ſelectiore cœtu coacta* recenſebimus, ſimulque illud addiſcemus: *Hiſtoricorum quidem primam in hoc ſtudio ſortem, indeque vt è vero fonte prudentiam ciuilem hauriendam eſſe* (ſicut in in præfatione operis monuit Noſter, & nos alibi demonſtrauimus) *ſed tamen reperiri in ceteris quoque vetuſtioris Doctrinæ monumentis plurima, vel ad robur, vel ad ſubſidium adiumentumque, vel ad ornatum civilis diſciplinæ pertinentia.* Sic *illos, qui de variis vitæ officiis diſſertando, conſulendo, hortando ſcribunt, exemplorum explicationibus, & applicationibus, rationum examinationi & declarationi, obſeruationum ſubtilitati, fundamentorum profunditati eximie ſtudere*: ſic *Oratorum figuras, ſententias, inuentiones ex intimis*
ſæpe

ſæpe penetralibus civilis prudentiæ promanare; Sic, *Poetarum nobiliorum curas præcipuum ſui decoris robur reipub. notitia inſtauraſſe;* ſic *apud alios, quorum ſcriptio longius à propoſito ciuilis vitæ receſsiſſe videtur, ea ſæpe occurrere monita, quæ non melius præceperint, qui id vnum egere;* Sic *priuatæ inſtitutionem vitæ aut communem morum diſciplinam, propter arctam cum publico actu communionem, aliquando in declarationis partem vocari poſſe & debere.* quid multa? *Virum civiliter prudentem & eruditum, ad conſilia arteſque ſuas vel animo meditandas, vel ſermone ornandas, vel actu nobilitandas, ampliſsimo penu inſtructuque indigere.*

Quo fine, *præſertim potiora ex omni antiquitate monumenta Politica, quæ propter formam operis, aut occaſionem tractationis nimis alias noteſcerent,* memorauit, & *crebriori laudatione, tanquam indicio* (quod bene obſeruandum) *oſtenſa voluit.* Talia ſunt: *Epiſtolæ Ciceronis ad Quintum Fratrem & Atticum,* πολιτικώτατον *opus.* ſicut & ad *Familiares perſcriptæ:*

plurimæ, ea ciuilis prudentiæ ſtudioſo ſuppeditant, quæ tam accurata ὑποθέσεως tractatione alibi fruſtra quæras. Noui virum præcipuæ quondam dignationis, doctrina, rerumque grauiſſimarum tractatione iuxta exercitum, qui poſt tantam experientiam, peragratamque ſtudiorum amplitudinem, nulla lectione libentius ſenilē Prudentiam oblectauit, quam epiſtolarum Ciceronis. in quibus profecto, vt hoc obiter dicam, ex intimo reip. & Prudentiæ Romanæ ſinu multa euoluuntur, quæ præter Ciceronem ſcire aut iudicare pauci potuere? Igitur, quæ ad hominum voluntates, conſiliorū propoſita, occultas reipub. labes, conuerſionis publicæ momenta pertinent, nemo ſolertius in literas retulit. Adde, quæ *Corn. Nepos in vita Attic.* 16, 3. *&* 4. habet.

Poſt *Ciceronis epiſtolas*, *Plinij*; poſt huius, *Senecæ*, Politico valde commendandas & à *Lipſio* iam commendatas exiſtimauerim. Apparebit ita, *in illa ſimplici-*

plicitate epiſtolari (quamquam de Seneca aliter hic iudicandum eſt) *grauitatē maximam Politicorum dogmatum latere.*

Sic *Rhetorica Ariſtotelis* cur toties hic laudentur, nemo facile coniiciat, niſi qui animaduertit: *Maximum Philoſophum in Alexandri præſertim inſtitutione, totam eam præceptionem ad ſcopum ciuilis actus direxiſſe, ideoque exemplis maxime Politicis vſum eſſe.* Quod & alii imitati ſunt. certe in *Ciceronis & Quintiliani* oratoriis commentationibus exactiſſima φιλοσοφίας πολιτικῆς placita paſſim occurrunt, quæ vel verborum rotunditate, vel vi præcipiendi non merentur à Politices ſtudioſo ignorari, cui Lipſius ſubinde per occaſionem ea ſuppeditat. [Hoc loco non pigebit me, ſtudioſos Iuuenes monuiſſe; *Rhetoricorum Ariſtotelis librum è tribus Secundum, in quo exquiſitiſſima de habitu, ſtudiis, affectu, varietate animorum & ingeniorum tractatio, alio quidem fine, ſuſcipitur, plurimum ad reconditiorem Prudentiam ciuilem, cuius magnam partem in no-*

tia animorum contineri ſupra diximus, momenti adferre poſſe. qua de re fors alibi copioſius dicetur.]

Stobæi ſententiis quis in hoc opere & ſtudio locus eſſe poſſit & debeat, facile iudicabit, qui *Titulos ad Remp. ſpectantes*, *Locoſque communes Politicos* in ea χρηστομαθείᾳ cogitabit. Iuuabitur profundioris cognitionis ſolertia in hoc argumento, lectis *Hugonis Grotii ad verſus Poëtarum, Stobæo collectos, Prolegomenis.*

Nominaui quædam ex iis monumentis, quæ cum reuera Ciuili prudentia abundent, à paucis eo nomine æſtimantur, ideoque Lipſiano iudicio in lucem protrahuntur. De ſimilibus ſimili vtatur exiſtimandi ratione, cui *Lipſii politica* penitius introſpicere commodum erit. Nam cetera ſe vltro clarius oſtentant *Orationes Ciceronis eæ, quas ipſe alibi* πολιτικὰς *vocat*; *Plinii Panegyricus, Salluſtii de rep. ordinanda epiſtolæ, Mithridatis ad Arſacen literæ; Agrippæ & Mæcenatis orationes apud Dionem, Claudiani*

diani Panegyrici, & ſi quæ talia longe lateque diffuſam ciuilis inſtitutionis tractationem profitentur.

Nobis enim ad rem ipſam propius accedendum, *intimiorque delectus Lipſiani ratio* eſt ſcrutanda. Quam vt in ſuis quaſi cubilibus deprehendat Lector, *inquirat neceſſe eſt & conſideret in ipſis ſcriptoribus loca, quæ à Lipſio adducuntur.* Tenendum enim ante omnia eſt: *Præcipue id ei propoſitum fuiſſe, vt in ſcholas profundiores politicas introduceret his indiciis ſuum Lectorem.* Quare minimum eſt, quod apparet: nobiliſſima quæque è fontibus, quos hi riui oſtendunt, ſunt petenda. Vtitur autem, vt hoc clarius dicam, Lipſius duplici locorum genere: *quædam πρώτως & proprie ad informationem politicam pertinent, ſtructuramque huius operis totam conſtituunt; quædam κατὰ δεύτερον λόγον & ſubſidiario vſu, potius vinciendæ ſententiæ, nectendoque ornatius corpori adhibentur. Hæc* (ſunt autem pauciora), licet nec ipſa fortuito arrepta, ſed cum delectu huc accom-

modata ſint, nunc non attendimus: *Illa* vero *plerumque huius operis* implent, adeoque pleraque omnia huius laudis vim ſuſtinere poſſunt. Itaque cum pauca de argumento e. g. aliquo verba è ſcriptore antiquo hic legis, adi Scriptorem ipſum, *inuenies eo indicio, vel totum communem locum de illo argumento, totam diſſertationem & tractationem; vel nobiliſſimum exemplum tanquam in re præſenti intuebere, vel praxin doctrinæ & applicationem rationemque ipſo prudentiæ conſilio, aut prudentis opere, operis dexteritate, circumſtantibus, caſibus, indeque emergentibus cautionibus, iudiciis, limitationibus deprehendes.* Talia enim, ex infinita multitudine locorum, quibus eundem ſenſum exprimere potuiſſet Vir πολυμαθέϛατος, ſumma delectus induſtria huc conduxit. Sufficere poteſt monuiſſe ſtudioſorum diligentiam, vt hoc præcipuè attendant ſequanturque, ſine quo *& obſcura ſæpe, & nonnunquam imperfecta, ſemper autē minus viuida & valida* erit præceptio Lipſiana. Exempla quid

quid congeramus, & chartam nil niſi εἰσαγωγὴν profeſſam, oneremus mole non neceſſaria? Loquantur pro nobis ipſi Scriptores, vt quemque pagina Lipſiana monſtrauerit.

Dicat *Tacitus*, quid ingenii ad aulam, quid moris ad vitam, quid conſilii ad Prudentiam, in *Piſone*, in *Lepido* fuerit; quos Lipſius cum reſpectu & parte verborum Taciti, in *ſingulare exemplum & monitum Modeſtiæ Conſiliario & Aulico neceſſariæ*, aduocat 3, 5, 12. & 13. *Hunc ego Lepidum* (inquit Hiſtoricus) *temporibus illis grauem & ſapientem fuiſſe virum comperio.* Agnoſcas ex ipſo tam ſignanter conſtituto principio memorabilis loci & obſeruationis conſilium. & iam exemplum eius moderationis præceſſerat, quam ſub rariſſimæ artis elogio commendant, quæ ſequuntur. *Nam pleraque ab ſæuis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat, cum æquabili auctoritate & gratia apud Tiberium peruiguerit.* Remotus ab adulatione & contumacia aut contuma-

tumaciæ ſpecie (quæ & ipſa tum cum periculo certiſſimo coniuncta erat) nec ſubrepebat crudelibus ſententiis ſæuitiæ Principis, quod plerique tum calliditate & obſequio temporum, vt exiſtimabant, ſibi faciendum ſtatuerant; nec contradictionibus tamen audacius vtendo Principem ſuſpicacem & libertatis oſorem irritabat. quæ res admirabili mentis, conſilii, actus temperamento conſtat: cum nihil difficilius ſit, quam apud talem principem gratia ſimul & auctoritate, præſertim diu, valere. Quocirca ſingularis conſiderationis eſſe exemplum Lepidi, amplius oſtendit Tacitus, ſubiecta diſſertatione, qua iudicium & approbationem ſuam, veluti per modum παιδεύσεως πολιτικῆς de illa *moderationis* arte declarat. *Vnde dubitare cogor*, inquit, *fato & ſorte naſcendi, vt cetera ita Principum inclinatio in hos, offenſio in illos: an ſit aliquid in noſtris conſiliis liceatque inter abruptam contumaciam & deforme obſequium pergere iter ambitione & periculis vacuum.*

Quo

Quo eodem nimirum itinere, pari conſilio temperamenti, decurſo, L. Piſo, cum auctoritate, & citra periculum in magnis dignitatibus peruiguit, quodq; *in tanta claritudine rarum* erat, non ſæuitia Principis, claros viros intercipere ſoliti, ſed *fato obiit*. ſicut amplius videre eſt apud Tacitum, qui, *non ſine emphaſi characteris politici, cum mora & cura obſeruationis, exempla tam illuſtria* commentatur. Ad quorum vim nunquam penetrabit, qui adducta tantum à Lipſio verba, relicta totius loci inſpectione, cognouerit.

Ita non ſufficit (3, 6, 8.) legiſſe *de conſultantibus* adducta ex *Salluſtio* verba: *omnes qui de rebus dubiis conſultant*, affectibus *vacuos eſſe decet. haud facile animus verum prouidet, vbi illi officiunt.* Adeundus eſt ipſe locus, noſcendumque τηλαυγὲς illud πρόσωπον, & vere πραγματικὸν, quod ſuæ orationi præſtruit *Cæſar*: vbi, *veluti per locum communem, cum grauitate ſententiarum, exemplorum momentis, applicatione callida, hoc argumen-*

tum ita tractat, vt & Maieſtati curiæ, & decoro ſenatoris egregie ſeruiat.

Ecce de *ſpectaculis & ludricis populo præbendis*, nonne (4,8,53. &c.) ea *Taciti* verba attulit, quæ nos deducunt ad *integram tractationem huius argumenti, duabus contrariis orationibus cõſtantem, exemplo illuſtratam, variiſque cautionibus & deciſionibus, vt vocant, politicis interſtinctam?* 14. A. 20. & 21.

Et quod hac occaſione interſerit *dominationis arcanũ* ex *Agric. Tac.* 21. nonne *præter vtentis conſilium, ipſam vtendi artem exemplumque, cum ſucceſſu vſus euentuque eximie & ſigillatim declarata* ab Hiſtorico, ſuppeditat?

Cum (4,10,37.) è *Seneca* 1. *de clem.* 9. admonitio mitigandæ conſpiratorum pœnæ aut donandæ petitur, nonne deducimur, *ad integram orationem*, qua in Cinnana conſpiratione, Auguſto *prudentiſſime & accurate* ſuadet *Liuia* id, cuius hic ſumma tangebatur?

De *tributorum neceſſitate*, quid potuit illuſtrius indicari (4,11,55.) quam *caput*

50. *An-*

50.l.13.Annal.Taciti, vbi ipſi quodāmodo ſinus huius argumenti excutiuntur?

De *noſcendo Ducis ingenio*, (4, 16, 34.) quam grauis & eximia eſt diſſertatio, & admonitio pragmatica *Polybij*, cuius particulam *Lipſius* excerpſit?

Conſidera quæ in *lib. 6. c.4.* habentur *de ſeditionibus*: peruenies eadem opera ad exempla maximarum antiquis deſcriptarum ſeditionum, indeq; tanquam ex vberrimo fonte copioſiſſime ea hauries, quorum hic nonnulli obſeruantur riuuli.

Sed quid vnum & alterum ex immenſa multitudine commemoro? Vbique hæc delectus prudentia occurret, capacem ad hanc diſciplinam animum adferentibus: quippe quæ vtramque Lipſiani operis paginam facit, & præcipuum informationis politicæ robur conſtituit.

Illud forte non tempeſtiue adiecero, de *Valerio Maximo*, quem *eodem conſilio*, i.e. vt ad totum caput & plura vnius argumenti exempla Lectorem inuitet,

uitet, ſæpius laudat Lipſius: *Eſſe illum Scriptorem longe maioris præſtantiæ, quam vulgo cenſetur.* Ac cetera quidem nunc nihil attinet prædicare: illa autem, quæ *Lipſius* hic in animo habuit, & quæ propterea Lectorem Politicorū oportet reſpicere, diligenter cognoſcenda ſunt. Collegit velut in locos communes, exempla dictorū factorumq; memorabilium, ſed ſcopo longe certiori quam plerique Eclogarii: *omnia enim ad reip. vſum & peritiam retulit*; adeoque (ſicut conſentaneum erat huic propoſito) *ipſo etiam dicendi genere* χαρακτῆρα πολιτικὸν *potius quam* ἠθικὸν *expreſſit*, *neque qualeſcunque aut fortuitas ſententias Politicas, ſed ipſa fundamenta actus ciuilis, prudentiaeque philoſophiam intimiorem paſſim inſinuauit.*

Priuſquam plane hinc abeamus, obſeruandum eſt: *omnem hanc Lipſianæ* ἐκλογῆς *ſummam, diligentiſſimiq; dilectus artem* referri potiſſimum ad τὸ παραδειγματῶδες τῆς φιλοσοφίας πολιτικῆς, ſiue ad *viam ſtudij politici exemplarem*. Cuius

ius rei ratio longe eſt euidentiſſima. *Ciuilis Prudentia actum reſpicit, actu conſtat, actu determinatur, actu exſplendeſcit: Actus non niſi in re præſenti æſtimatur, peruidetur, iudicatur: Quocirca exempla actus ſunt proponenda, vt prudentiæ præceptio procedat; exempla actus ſunt ſequenda, vt vſus prudentiæ obtineatur.* Exemplorum ratio hic ea nobis intelligitur, *vt conſiliorum optimorum viuam praxin cognoſcamus, quomodo applicata reipublicæ, tractata in negotiis, temperata in euentibus ſint: quid à tractante artis, à tempore momenti, à fato diſpenſationis acceſſerit, & ſimilia.*

Atque id egit præclare *Lipſius*, vt in curias & ſenatorum conſeſſus, in caſtra & Imperatorum conſilia, in militiam & militares artes, munia, caſus, indicio locorum è ſcriptoribus nominatorum, prouecti, in ipſa rerum luce præſentiſſimæ inſtitutionis diſciplinam ſectaremur. Scilicet hoc pacto Ciuilis prudentiæ Doctrina *ad ſua incunabula primaſque & veras origines* exacte reuocatur. Exempla enim actus & ſpeci-

cimina, prima capit & indicat obſeruatio: obſeruatio cõtinuata in regulam proficit: ordinata regularum collectio artem ſuppeditat. Sed quoniam nulla prorſus diſciplina tot à regula exceptiones agnoſcit, ſicut Politica: igitur τὸ πειϱαστικὸν huius ſtudii, i.e. ipſa prudentis actus anima non includi præceptis, ſed inueniri in exemplis poteſt, ad quæ *Lipſiana* inſtitutio tam ſinguiari artificio vbique deducit.

Cuius curæ robur non poſtremum eſt, quod *nobiliſſima quæque argumenta, locis non præſtantiam modo ſed eminentiam exempli habentibus, & velut* INCOMPARABILIBVS *inſtruxit.* De *coniurationibus & conſpirationibus earumque euentibus ac iudiciis* apud Veteres Scriptores nuſquam maiori grauitate, copia, expoſitione agitur, quam apud *Curtium* & *in Salluſtij Catilina.* igitur Lipſ. Polit. 4, 10. hinc inſtituitur dicam, an huc dirigitur? De *Cenſura morum* nemo ſeuerius ac intentius tractauit *Salluſtio,* tum paſſim, tum præſertim *duabus oratio-*

orationibus ſiue epiſtolis de rep. ordinanda. Ergo eas *Lipſius* 4,11. crebro & quaſi ordinarie (vt vel hinc eminentiam interpretari poſſis) in hoc argumento laudat. *Contemtibilis Principis* non maius exemplum antiquitas memorat, quam *Vitellium.* cuius degenerem animum & maculatiſſimos mores, quibus denique regnum & vitam amiſit, *Tacitus* tam notanter deſcribit, ut Satyrica exagitatio videri poſſit, quæ hiſtorica narratio eſt. Ergo *Lipſius* non modo 4, 12. vbi *de contemtu euerſore regnorum* agitur, ſed vbicunq; occaſio fert, ignauiæ & ſtuporis hinc exempla & iudicia petit. De *bonis maliſque, duratione & conſeruatione rerump.* frequenter & μάλα πραγματικῶς diſſerit *Polybius*, cuius præſertim *lib.6.* id argum. fuſe tractat: ſignanter propterea laudatus *Lipſio* 2, 8, 4. *& in not. ad eum l.* De *Neutralitate* (vt conſuetudini largiar nunc vocabulum minime Latinum) *in bellis non ciuilibus*, quam ſingularis eſt oratio & conſultatio *Liuiana lib.32. & epiſtola Mithri-*

datis

datis apud Salluſt. IN *bellis vero ciuilibus*, eſtne ſuper hoc argumento amplius vllibi diſquiſitum, quam in *epiſtolis Ciceronis, præſertim ad Atticum*; qui ipſe exemplum hominis *feliciter medij quietiq;* incomparabile haberi debet? Ergo *Lipſius* 4,9. & 6,6. non omiſit iſta indicare. Vide, quæ de *Electione* 2,4. de *Clementia* 2,12. (vbi præſertim grauiſſima conſilia magnis Principibus à magnis conſultoribus ſuggeſta eminent) & 13. de *Tributis* 4,11. adducuntur Auctorum loca: deprehendes, quod commendauimus modo, conſilium. Atque hæc talia facilius in Hiſtorico aut aliis ſcriptoribus, quam in Poëtis quæruntur. qui & ipſi tamen interim ſingulari grauitate & expreſſione nonnulla argumenta Politica tractarunt. Pertinet huc *Lucani de cauſſis Ciuilis belli remotioribus & propioribus* eximia diſſertatio, qua Pharſaliam ſuam exorſus, Hiſtorici diligentiam & Politici prudentiam tam illuſtri exemplo coniunxit, vt rotunditate comprehenſio-

henſionis, copiaque argumenti merito præferendus ſit aliis. id quod *Lipſ. Polit.* 6,2. oſtenſum voluit.

Solent, qui Bonos Auctores comparandæ cauſſa prudentiæ tractant, quæ *conſultationum deſcriptiones, quæ orationes conſultantium grauiſſimæ ſunt optimiſque rationibus pleniſſimæ*, notare & inter præſidia ſui inſtrumenti quaſi conſtituere. Tales in Tacito ſunt *incomparabilis illa Tiberij ad Senatum epiſtola* 3. A. 53 & 54. *oratio Caſſij* 14 A. 43 & 44. *Galbæ* 1 H. 15 & 16. *Piſonis* 1 H. 29, 30. *Othonis* 1 H. 83, 84. *Cerialis* 4 H. 73 & 74. *Galgaci in vit. Agric.* 30, & 31, 32. In *Liuio*, *oratio Fabij Maximi ad Æmil. lib.* 22. *Scipionis ad ſeditioſos milites l.* 28. *Hannibalis ad Scipionem l.* 30. quam pæne totam deſcripſit in Politica ſua *Lipſius*. qui hoc indicio (frequentioris citationis, quam vocant) etiam *Thucydidis, Salluſtij, Curtij*, & aliorum ſcriptorum tam orationes excellentiſſimas, quam eminentiſſima cetera, conſpectius innoteſcere Politicarum rerum ſtudioſis voluit.

Non prætereundæ eſt & illud diligentiæ, *cum ex ipſa Auctorum ὑποθέσει propoſitoque iudicium delectus ita diſpenſat, vt, exempli cauſſa, in rebus virtutem moresq; concernentibus, libentius Salluſtium & Senecam Philoſophum; in Aulicis Tragicum Senecam,* ſcriptorem vere Aulicum, *nominet.* qui nimirum ſingulari ſtudio, in omni ſua ſcriptione characterem eius argumenti præferunt.

Iam cum totum hoc negotium conſtet partim quidem *præcipiendi grauitate*, partim *applicandi dexteritate*, ſicut antea innuimus, *Illi præcipue, Ariſtotelis Politica & Ciceronis officia* cum *Platone* (licet enim is θεωρητικώτερον ſæpe in materia practica verſetur, magnam tamen in communibus placitis, & quoties cum Ariſtotele congruit, auctoritatem obtinet) *grauiores regulas & veluti decreta* ſuppeditant: *huic* vero, *illa exemplorum, cuius fontes prædiximus, ſelectio, copiam & artem ſubminiſtrat.*

Leue videri poteſt & ad decus potius quam ad vim politicæ informationi

tionis pertinens, quod dicam, de *exquiſitiſſimo & valde notabili genere paralleliſmi*, cuius exempla ſæpiuſcule occurrunt. 3,2,2 *&c. Heſiodi* nobiliſſimum dictum, *cum interpretatione duplici, Ciceronis & Liuij* adfertur. Mirum hoc in eo ſcribendi genere, vbi tantopere brevitati ſtudetur: eundem ſenſum triplici Auctoritate muniri. Sed nimirum aliud habuit in animo *Lipſius*, quam alias à Philologis in comparatione talium locorum ſpectari ſolet, qui conſilium imitationis, ſimplicitatem interpretationis, grauitatem expreſſionis hic attendunt. Inquire enim *quam inſigni momento applicationis & exempli ſuo argumento Cicero, ſuo* Liuius *accommodet Heſiodeam ſententiam*; & apparebit, *ipſa penetralia dicti tam fecundi lateque patentis recluſa, vſuſque amplitudinem in re præſenti oſtenſam.* Idem opinari licebit *de* 4 9,37 *&* 38, *ſimilibuſque.* Affinis eſt parallelíſmi inſtituto, *explicatio locorum paraphraſtica.* E.g. quid *Tacitus* intelligat, cum Auguſtum *paulatim*

tim inſurrexiſſe memorat, *Dionis* verbis de eadem Auguſti arte loquentis, velut paraphraſi quadam (nam ea aptitudine huc congruunt) *Lipſius* declaratum voluit 4, 9, 33 & 34.

Huic ſcrutinio, vt ſic loquar, Lipſiani operis ſi quis amplius inſiſtat, ſubtiliora etiam & plura inueniet, quam nunc tetigimus. Sufficit enim noſtro propoſito, ſi oſtendamus: *Lipſii Conſilium fuiſſe, hoc Politicorum opere Lectorem ad penetralia ſtudij ciuilis ipſaque cubilia non qualiſcunque cognitionis ſed veræ ſolidæque prudentiæ deducere. itaque, vt iter recte & ordine emuniretur, magiſtros præcipui nominis artiſque tanquam duces conductos, diſciplinam compoſitiſſimo ordine conſtitutam, exempla omnis æui nobiliſſima delecta, præſidia vſus ac ſubſidia prouiſa eſſe: ea quidem diligentia iudicioque, cuius hactenus exemplum non habemus.* Licet enim *formam huius ſcriptionis* concinnandis centonibus nonnulli æmulati ſint, tamen pleriq; nil cauſſæ habuerunt (vt in diuerſo inſtituto) cur tam ſolicite

hic &

hic & accurate verſarentur. Centonem namque adornanti ſatis eſſe poteſt, ſi commoda & præclara loca, exprimendis quæ voluit, adhibeat. cum præſertim non cauſſa & arte docendi res geritur, ſed alia potius ſpectantur. niſi quod eo conſilio, vtilem ſane profectibus diſcentium, *Ethicam* nuper adornauit *Vir Doctus*. an vero ille aſſecutus ſit Lipſianum inſtitutum, quod imitari voluiſſe videtur, nihil attinet nunc diſquirere.

De cetero obiter, & ſtudioſæ iuuentutis cauſa, idque hac occaſione monemus, *caute & prudenter accedendum eſſe ad ſcribendos centones*. quorum forte aliquis vſus eſſe poteſt, *in argumentis pragmaticis, quibus vel Auctoritas vel ſecuritas quæritur*, ſicut exemplo Magnorum virorum ſatis conſtat; aut *in ludicris*, vbi ſola delectatio ſpectatur. ſed tum arte & facilitate condecentiaque contextus opus eſt, ſine quibus frigida ac pæne inepta erunt, quæcunque molieris. Certe in vaſto illo *Garciæ Bar-*

rionueuo Panegyrico, quem *ProRegi Neapolit. Petr. Ferd. à Caſtro* ſcripſit, nihil inueniat aliquis, quod tanto hiatu dignum ſit, cum præſertim ab Oratoris conſilio, plurimum aliena videatur talis ſcriptio: cuius conatu potius, quam effectu non video cur aliquis celebrari optet. Volo tamen hæc de illis dicta exiſtimari, qui cum faſtu & iactatione variæ Lectionis huc deſcendunt. Nam alias inter eos eſſe & haberi volo, qui *æquam innocua ſcribentibus Libertatem* ſartam tectam cupiunt: nec cenſuris vexanda autumo, quæ cuiuſuis ingenio arbitrioque condonari poſſunt.

CAPVT V:

DE NÆVIS LIPSIANI operis.

DIſſeruimus hactenus de præſtantia Politicorum Lipſianorum ſingulari: quæ tamen, vt nihil eſt in humanis operibus perfectum, cum exceptione *Næuorum quorundam* debet intelligi. de quibus nunc aliquid erit dicendum.

cendum. Abſurdum enim foret, diſſimulando iſta præteruehi, quæ iampridem Magnorum Virorum reprehenſionem incurrerunt: nec mihi ſane, aut cuiquam iuuentutis inſtitutionem profeſſo decorum duxerim, admiratione Auctoris, defectum operis inuoluere, atque ita latentibus ſcopulis curſum incautorum impingere.

Ante omnia, *quæ Religionem concernunt*, hic notanda veniunt. Cum enim (rectiſſime illud quidem) *Pietatem* in ipſis fundamentis ciuilis vitę actuſque collocaſſet, *frigidius* tamē & *incertius* de re, quæ non poteſt aut debet eſſe niſi certiſſima, poſtea diſſerit, quoties Religionis auctoritate ſubſidioque opus eſt. Non agam ſcrupuloſius, nec *ſecundum tertiumque caput libri* I. vltra quam ipſe voluit, examinandum ſumam. Loquitur partim ore gentilium (in quantum ſcilicet ipſi de Religione cognouerunt) partim cauta acceptione facile excuſantur, ſi quæ minus profunde dicta videntur. At vero cui

ſatisfaciant, quæ *de Fato* tradit *cap.4?* Certe qui non aliter *fatum* cognouerit, nihilo plus ſciet quam Stoici veteres, quorum dictis nimis religioſe & ἀβασανίστως attendit *Lipſius.* Et quam cœca eſt illa *Patientia*, quæ vt fructus Notitiæ fati ab ipſo ponitur? quam hebes illa *Scientia*, qua obſeruari iubet, *quemadmodum omnia ſurſum ac deorſum ferantur.* Qua occaſione, *cum Hiſpanis Monarchiam polliceretur*, ſtatim monet, *quo fatorum inclinet fauor & potentia rerum tranſeat, eodem animos eſſe inclinandos cum conſiliis & obſequiis.* (vid. *Not.* ad 1,4,33. *&* 1 *de Conſt.*16.) Hic mihi idem videtur dicere, quod apud *Lucanum Photinus*:

Tu cole felices, miſeros fuge.

niſi quod *ille* de negotio certo & præſenti, callide; *Lipſius* de re, quam futuram eſſe, neſcio in quibus fati tabulis legerit, temerarie etiam pronunciat. quid pronuntiat? imo vero, palam poſtea deſerit priores partes, & ad nouum illum Solem orientem, quem ſpecula-

culatione fati augurabatur, animo, moribus,religione deſciſcit (vide *Petr. Denaiſii diſſert. de Idol. Hall.*) non iam memor fati; quod temporarios homines auerſatur & punit. Equidem huius magiſtri vocem & exemplum ſi attenderent homines, mora nulla eſt, quin fidem erga ſuperiores multi paſſim exuerent, verſoq; ad increſcentem alterius porentiam affectu, egregia ſcilicet pietate fatum ſequerentur.

Non poſſum, quin hoc loco diligentiſſime moneam Ciuilis Prudentiæ ſtudioſos, vt *Doctrinam Fati* ſibi quam commendatiſſimam eſſe patiantur. Vere *fundamentalis* eſt, reſpectu totius Prudentiæ, illa cognitio. Quæ conſiliis profunditatem, actui rectitudinem ſuppeditat. Certe in Maiorib. illis, quæ ſtatum publicum concernunt prouiſionibus, niſi hanc normam ſingula ſequantur, vniuerſa vacillabunt. Sed petenda eſt ea informatio, *non è gentilium ſcriptis*, quæ tenebris & ambiguitate omnem hanc philoſophiã implicant:

Sed è puriſſimis clariſſimiſque oraculis diuinis, grauiſſimorumque Theologorum declarationibus; quæ non patientur quenquam hæſitare ad ſcopulos *neceſſitatis*, aut cæcutire ad tam perſpicuam ſeriem cauſſarum euentuumque, quibus ordinarie ſuprema illa vis non intercedit cogendo, ſed diſponendo interuenit. Sunt quidem (nec diffiteor) multa in hoc argumento, quæ nec poſſunt captu humano comprehendi, nec debent curioſitate humana inueſtigari. Sed hoc prætextu ignauiam velare nefas fuerit, ad ea etiam ignoranda, quæ cognitioni noſtræ Diuina Bonitas expoſita pariter & commendata voluit. Qua in parte, forſan erit, vt & nos aliquid elaboremus: qui pridem *Theatrum Fati* delineauimus.

Pergendum eſt ad cetera, quæ *de vna Religione, de puniendis aut tolerandis diuerſa ſentientibus*, lib. 4 cap. 2 & 3 & 4. tum *in lib. aduerſus dialogiſtam* diſputat *Lipſius*. Non fuerit autem operæ pretium ſingula examinare, cum potius

vniuer-

vniuerſim monendi ſint Iuuenes ſtudioſi, *ne tales quæſtiones Lipſio velint magiſtro diſcere*. qui vbique ſibi ſimilis eſt, id eſt, *in Re Theologica aut quocunque modo ad Religionem pertinente lubricus, anceps, vagus, in omnes formas mutabilis*: qui modo aliquid largiri, modo adimere rurſum cupiat. id quod neceſſe eſt accidere homini vera religione ſerio nunquam imbuto, Sacrarumque litterarum penitus experti. Sequamur ergo firmiores in hoc argumento Doctores: quales è Theologis & JCtis, maximè quiq; ſolidioribus nixam fundamentis doctrinam expromunt ac explanāt. Illud non omittendum eſt, quo ſeipſum prodit damnatque Lipſius; æterno cum dedecore famæ, quam vnam videtur in omni vita quæſiuiſſe. Cum enim *in prioribus Politicorum ſuorum editionibus lib.* 4. *cap.* 4. pro libertate religionis, *aduerſus Pontificiam crudelitatem & Hiſpanicam inquiſitionem* (quam nemo bonus vnquam probauit) quædam ſcripſiſſet: in poſterioribus editio-

nibus, tanquam non à religione modo, ſed à ſana ſimul mente defeciſſet, partim *omiſit ea* (ſcilicet quæ in *Freinshemiana editione* reponuntur n. 7, 9, 12.), partim *ſimpliciter & ingenue dicta mutavit.* A principio cum propoſita eſſet quæſtio, *an quietus puniendus?* Statim ſubiicitur in priorib. ed. *Non videtur. Tacere liceat*, &c. in. Poſterioríb. interiungitur cautio, ne magiſtrorum crudelitatis Papalis aures offenderentur: *De quietis temporibus non diſputo: de turbidis ambigo. & interdum illa valeant, Tacere liceat* &c. Ecce qui antea ſimpliciter pepercerat, nunc tempora diſtinguit, & quietis temporibus diuerſæ religionis homines quamuis quietos puniri vult; turbatis, differt pænam, ſed interdum; per rationem ſtatus, cuius pæne addidiſſem dignũ epitheton. Ita cum *n.* 10. legitur; *Vide ne in ſtatu ſimili, tutior via altera docēdi ac dubitandi:* Priores editiones longe cordatius; *quanto mitior & tutior via altera d.* cũ dictoBernhardi: *Fides ſuadenda eſt, non imperanda.*

Deni-

Deniq; vt agnoſcas plane mutatam in aſperiora omnia mentem, *recentiores editiones* n.16. cruentum iſtud pro Hiſpanica inquiſitione inferciunt, quod *Priores* nõ habebant: Præceſſerat ex Lactantio: *Multo firmior eſt fides, quam reponit pœnitentia*, atque id ex Lipſii adhuc ſani mente, poſtea *ſemi-Ieſuita*, vt ipſe ſe vocat, ex nouæ ſacramento diſciplinæ addit: *Etſi pœna etiam ſæpe repoſuit & lentis tepidiſque animis quod cohortatio quieta non ſuaſit, minax ſubito terror extorſit.* quod *Proſperi* dictum ſcilicet in fucum & ſpeciem huc aduocandum erat. Credidiſſem aliorum potius, quam ipſius ingenio tantã μεταμόρφωσιν in eodem libro accidiſſe: niſi ſimilibus indiciis pluribus, poſt defectionem ſuam, huius quoque vanitatis fidem affirmaſſet.

Supereſt, vt de κακοπραγμοσύνη illa aliquid dicamus: quam per occaſionem, nimiũ facile admiſit in ſua Politica *Lipſius*. Eſt alias inter elogia eius operis, quod *Arcanorum Doctrina*, quam

alii peculiaribus libellis in ſpeciem nouæ commendationis adornarunt, *hic paſſim & copioſe traditur.* Sunt autem *arcana Politica*, vt omnes norunt, non vniuſmodi. *Quædam* enim *bonis & licitis imperij artibus* accenſeri debent: *quædam ambiguæ æſtimationis* ex conſilio vtentis ac προαιρέσει, modo in artibus gerendæ reipub. modo in flagitiis dominationis numerantur: *quædam prorſus & manifeſte flagitioſa ſunt*; quæ vt ab omni ciuili actu penitus diſcludantur, iubet Religio, iubet Honeſtas, iubet ipſa Salus Publica; cuius magnifico nomine velare iſthæc talia receptæ paſſim artis eſt. Ita dico, receptum paſſim eſſe hunc morem non in actu modo, ſed in ſcriptis etiam Politicorum. Vtinam enim ſolus hic peccaſſet *Lipſius*: de quo ſolo interim nunc ratione inſtituti noſtri eſt agendum. *Maculam enim grauiſſimi operis non leuem duco, confuſa cum artibus licitis flagitia dominationis & ſcelera quæ aliquando admittit, aliquando ſuadet, aliquando commendat.*

Non dicemus nunc, *quod* 3,10,17. & 18. Tiberii conſuetudinem, *eminentia ingenia ſuſpectantis, mediocria tantum quærentis & promouentis* (quæ haud dubie tyrannicam ὑπόθεσιν habet) commendat; *quod* 3, 11, 5. *Seneca ex Hippolyto* dictum (*Malus eſt miniſter regij imperij pudor*) aulicis miniſtris ſuggerit, cum tamen à peſſima muliere, peſſimo propoſito, in re peſſima vſurpatum ſit, & ἀμείσως præceſſerit: *verum iuſta, qui Reges timet, Deponat; omne pellat ex animo decus*: *quod Seueri* adhortationem ad filios 4, 7, 12. inter conſilia firmandi principatus referre dignatur: *quod* illam Auguſti artem primariam, qui *militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otij pellexit*, 4,8,20 & 21. ſine ἐπιπλήξει & cautione, quam locus Taciti deſiderare videbatur, ſuadet: ſicut & illud alterum 4,9,34: *Inſurgere paulatim, munia legum & magiſtratuum in ſe trahere*, quæ quaſi regia ad tyrannidem via eſt. Talia, inquam, plura paſſim occurrent, quæ licet opprimendæ li-

bertati, aut firmandæ tyrannidi adhibita legantur iis locis, quæ à Lipſio adducuntur, *poteſt tamen, derelicto vſurpantis conſilio exemploque, res ipſa nuda, ad puritatem quandam redigi; poteſt verborum τὸ γνωμικὸν potius quam νοηματικὸν ſpectari; poteſt diuerſa ad diuerſum argumentum accommodatio interuenire; poteſt inflecti ſenſus & in meliorem partem inclinari*, cum præſertim pars diſciplinæ politicæ ſit *in legendis Auctoribus diſcernere quidem diligenter, qua quidque mente factum ſit, quo facientis conſilio gubernatum; interim tamen non negligere ea, quæ ſiniſtro propoſito ſane, ſed bonis ſententiis ac rationibus geruntur: quas ſegregata perſonæ hypotheſi, recte nimirum licet ac ordine rebus accommodare.*

Illa vero ſine dubio *flagitiis dominationis* accenſeri, neque vllo pacto commendari à Lipſio merebantur: *voluptatibus eneruare bellicoſorum ſubditorum animos* (4,8,34 &c.) *ſua retinere priuatæ domus, de alienis certare regiam laudem ducere* (4,9,57.) *ad quietem domi conſeruandam,*

uandam bella inferre alijs (4,9,62.) *ſocietatem alterius palam induere, ad alterum per occulta & magis fida inclinare* (4,9,8;) cumprimis vero atrociſſima illa & ſceleſta mihi ſemper viſa ſunt, quæ habentur 4,11,41. vſque ad 45. eodem. *cap.* (n.59, 60, 61.) *prætextus tributorum & magiſtri exactionum, cum auaris adulationibus*, quas Plinius vocat, è media tyrannorum praxi, vt ſic dicam, inter artes Principis reponuntur; *cap.* 14. *lib.* 4. n.51. &c. quam *hæret*, vt ipſe loquitur, *& ſudat*, cum de *fraudibus & deceptionibus* agit, quis non videt ibi conſcientiam & vafritiem inter ſe pugnare? *Eod. cap.* n. 84. *priuilegia ſubditorum flecti aut frangi, prout vſus poſtulat, debere*; n.85; *aliena propter metum, ne ab alio occupentur, opprimenda eſſe*, ſtatuit. In bello ad exemplum Philippi Macedonis nulla videtur ei ratio vincendi turpis. hinc eſt, quod *mittere corruptores, & exuendam ad fidem hoſtes emercari*, inter ſolertiæ militaris conſilia habet: 5,16,37.

Hæc & ſimilia dum admittit *Lipſius* inſtillatque, ſane non vno modo peccat. *Primo* enim meminiſſe debebat, quæ de Virtute fundamenti loco in ciuili actu vſurpanda *lib.*1. diſſeruerat: cuius tam eximiæ diſciplinæ hac ratione primus dememinit. *Deinde*, Peruerſam illam *Rationem ſtatus*, quæ à nonnullis vocatur, damnatam à ſe deſcriptamque (2, 10, 11. *&c.* 2, 14, 13. *&c.* 4. 14. 62. *&c.* 5, 3, 7. *&c.* 6, 3.) tacite rurſum admittit & amplexatur. *Adeoque* non effugit quin inter eos nomen ſuum proſtituat, *quibus omnia Principum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt.* quo charactere *Tacitus* 2. A. 38, 5. *μεγαλαυχοὺς κόλακας* notat.

Et profecto, ſi verum amamus, *illa ipſa cauſſa* eſt, quæ non Lipſium modo, ſed Politicorum pleroſq;, in hæc vada abripuit. *Vident*, inquã, *à Magnis hominibus uſurpari talia cottidie & inter ſpecimina prudentiæ oſtentari. hos excuſare quam accuſare malunt.* Sed ne ſilendo quidem præteruehuntur: *ne videantur ignoraſſe,*

quid

quid actus vitæ ſuppeditaret, & quantũ aulæ artes diſtarẽt à præceptionibus ſcholæ. Hinc *pruritus iactandæ peritiæ politicæ*: qui vbi ſemel inuaſit animum, rectiori diſciplinæ perpetuo obſtrepit. *Scholaſticos, imperitos* incipiunt vocare, non tam qui neſciunt iſta, quam qui improbant. Accedit quod *diuina Auctoritas, cælique leges, vix admittuntur alicubi aut requiruntur ad negotia humana.* qua de re, non eſt huius loci, vt plura dicamus.

Non immerito Viros Graues & Doctos pridem offenderunt hæ Lipſiani operis maculæ: de quibus ſerio admonenda eſt Iuuentus ſtudioſa, non quidem, opinor, vt plane abſtineat tam memorabilis in cetera diſciplinæ monumẽto, cuius & methodus & profunditas hactenus eſt incomparabilis: ſed vt tum hic, tum alibi (quotuſquiſque enim ſcriptorum non abblandiri ſibi paſſus eſt argutias eiuſcemodi?) ſcorias ab argento diſcat ſeparare, id eſt, omnia explorare iudicio, ſequiora magnanimitate quadam ſapiendi reiicere

re, meliora autem conſtantia bonæ mentis amplecti.

Cuius inſtituti rectioris duo ſuggeſſerim adminicula. *Primo* quidem, *præceptiones & dogmata politica* (quæ & generalius & in reſpectu exempli actuſque neceſſe eſt tradi) *penitiore Iuris fundamento ſolidanda ſunt atque communienda*: vbi ante omnia occurrit *Ius illud*, quod cum veteribus *Publicum* vocamus: *à ratione recta ſuppeditatum, ſapientum voce affirmatũ, gentium rationi & ſapientiæ attendentium vſu percultum*. in quo genere eximia ſunt, quæ *Cicero in officiorum libris* pertractauit: quos qui ethicis libellis annumerare ſatis habent, magno in errore verſantur. Recentiorum etiam labor, præſertim *Hugonis Grotij de iure belli & pacis commentarius*, proprie huc ſpectat. Ex his enim fontibus profluxiſſe, quæ *ciuilis nomine iuris ac priuati* laudantur, aliis abunde iam oſtenſum eſt. Pertinet huc, quod *Carolus Paſchalius in Legato c.* 15. cenſet: *ſcientia ciuilis* (πολιτικὴ) *meo quidem*

animo tribus rebus cenſenda eſt; Cognitione iuris, peritia hiſtoriarum, eloquentia: Scilicet ratio *facti* in *iure* quærenda eſt: ad quod niſi congruit, cauſſa approbandi iam ſublata eſt.

Alterum ſubſidium, etiam firmius eſt priori, ideoq; maxima induſtria comparari à ſtudioſis Politices debebat, *Theologiæ ſcilicet grauioris, ſanctioriſque Prudentiæ regula*: Niſi hæc nos dirigat in humanarum rerum fluctibus, in perplexis caſuum, in incertis actuum: neceſſe eſt quantamcumq; ſollertiá decipi, errare, labi. *Illa* ſupplebit, in quibus ratio deficit aut cæcutit: *illa* Hiſtoriæ oculus erit, efficietque vt per theatrum diuinæ gubernationis incedamus cum perſpicacia & iudicio: *illa* ſubdolum publicæ nequitiæ glaucoma, *quaſi ſine malis artibus reſp. geri non poſſet*, perpetua exemplorum luce longe amolietur. *Illa*, ſi Florentinus aliquis veterator ſummam κακοπραγμοσύνης inſuſurrat,

Vis & nequitia quicquid oppugnant, ruit;

ſtatim

ſtatim demonſtrabit, fieri ſane interdum, vt dolum & vim aliquantiſper ſucceſſus comitetur, ſed paulo poſt, *vim ipſam, nequitiam ipſam irreparabili lapſu & horrendo vuere, regniſque ingentibus ingentem perniciem conſciſcere.* *Illa* maieſtatem ſceptrorum poteſtatemque attollet ac venerabitur, ſed vſque ad aras, & ita, vt eadem opera *ad exemplum Altioris Maieſtatis Minorem componat.* Quocirca perniciosus in publicum error exiſtimandus eſt, ſi accurata S. literarum meditatio, & Theologicarum commentationum cognitio, ſolis relinquatur Theologis. quorum ore ſubinde ſolent loqui Eximii publicarum vtilitatum tractatores, vt rectius loquantur.

CAPVT VI.

CONTINENS DVO COROLLARIA huius diſſertationis. quorum primum *de erroribus quibuſdam generalibus in ſtudio Politico*; alterum *de Hiſtoria Taciti, admonitionem ſuppeditat.*

DEuitatis, quos oſtendi, ſcopulis, facilis

ſacilis & felix per cetera curſus erit: ſi præſertim ſtellis viam deſignantibus oculos diligenter aduertamus. qua de re ſupra paucis, ſed quæ de pluribus admonerent, actum eſt. Hic, in vicem corollarii, & ad incitandam cogitandi induſtriam, adiicimus: *Lipſii Politica eo quoque argumento eximia haberi debere, quod Errores pleroſque generales, qui ſtudium Politicum implicant aut infirmant, ipſa Diſciplinæ ſuæ ratione inſtitutoque vltro ſubmouent arguuntque.* Tales ſunt: *Politica ad ſubtilitatem contemplationum vbique exigi poſſe,* quod Platoni fraudi fuit; & ex diuerſo: *Politica ſolum actum, à poſteriore* vt loquuntur, *reſpicere, omnem à priori philoſophiam aſpernari,* quod Machiauello iſti in multis videtur fuiſſe propoſitum: *prudentiam Ciuilem per ſyſtemata præceptionum tradi penitus diſciq; poſſe;* quod Encyclopædiſtę hodierni (liceat hac appellatione vti) credunt: *poſſe prudentiam ciuilem ſolo vſu, abſque ſtudiorum adminiculo, conſummari: poſſe hoc ſtudium abſque præuio aliarum*

artium

artium paratu tractari : poſſe prudentiæ actum à virtutis actu auſpicioque ſeparari : ſitum eſſe hoc ſtudium in extemporali facultate de rebus vitæ communis diſſerendi, dicta iaciendi, &c. Quæſtionibus & florilegiis rem expediri poſſe, adeoque eſſe hoc ſtudium amœnitatis potius in cognoſcendo, quam laboris in ſapiendo. Quæ omnia, cum ſimilibus, nunquam credet, qui Lipſiani operis conſilium artificiumque penetrauerit.

Antequam plane finiamus, non abs re videmur facturi, ſi de illa quoque Lipſiani conſilii parte aliquid dicamus, qua præcipuum plerique operis fontem, *Cornelium Tacitum* conſtituit. *Nonne enim is ſcriptor eſt,* inquiunt nonnulli, *qui potiſſimam ſuæ hiſtoriæ partem tyrannicis artibus actibuſque commemorandis implet, quibus ſcilicet facilius mali Principes in horribili illo κακοπραγμοσύνης myſterio, quam boni in εὐπραγίας publicæ negotio informari queant?* Bene equidem cum ſtudiis quibuſcunque comparatum eſſet, ſi de ſingulis monumentis ii tantum

tantum iudicarent, qui legerunt & intellexerunt. Sane, qui Tacitum legerunt, ſciunt apprime; *hæc talia ipſum non ſcripſiſſe vt doceret, vt approbaret; ſed potius vt è latebris ſuis eruta infamia publica notaret, quicquid eſt arcanorum flagitioſorum & inanium*; *item arcanorum domus & dominationis*. quibus ille vel ſolis nominibus ſatis cauiſſet, ne quis pro imperandi artibus arriperet; etiamſi non eſſent additæ (ſunt autem magno ſtudio paſſim & cum emphaſi additæ) grauiores cenſuræ. Sicut itaque Elenchi Sophiſtici ab Ariſtotele ſunt traditi, non vt iis vteremur, ſed vt conſtaret nobis de deceptione & ſimulacris τῆς φαινομένης σοφίας, ἀλλ᾽ οὐκ οὔσης, quæ ſummo ſtudia vitanda eſt: ita, ut rectiorem gerendæ reip. viam Principes inſiſterent, deteriorem non oſtendit modo ſed vituperauit Tacitus; ratus nullo validius argumento ad fugienda talia homines impelli poſſe, *quam ſi metu infamiæ apud poſteros deterreantur, id eſt, ſi videant, hiſtorica libertate omnia denique*

clam patrata in publica lucem collocari, ac deteſtationi poſteritatis exponi. Quod autem *talia ab iis poſtea arripiuntur, qui nec tyranni, nec tyrannidis adiutores cenſeri volunt; quod multi in talibus ſapientiæ ciuilis arcem conſtituunt: eius rei culpa adeo non eſt Taciti vt neminis auctoritate potius conuinci poſſint, quam eius, quem magiſtrum videbantur delegiſſe.* Ecce enim, quid clarius cogitari poteſt? Quod *Tacitus* tyrannorum nequitiæ tribuit; iſti Principum prudentię accommodant: quod *Tacitus* reprehendit ac obiurgat; iſti commendant & exoſculantur. Itaque, qui hoc conſilio Tacitum Principibus & Politicis viris, pro magiſtro prudentiæ commendant, vt vaframenta notis infamiæ monſtrata inter egregias artes amplexentur: illi ſane de tyrannidis propoſito aut admonent eos aut arguunt. ſine vlla id quidem Taciti noxia. In quo longe alia ſunt, quibus Prudentiæ ſtudio & Lipſiani operis inſtituto prodeſſe poteſt qua de re alibi eſt à nobis fuſius actum. Illud

vnum

vnum hic ſubiicio: *non male tantum aut vafre facta in Taciti hiſtoria memorari, ſed plurima egregie excogitata, prouiſa, conſtituta, geſta, exponi; eſſe praterea illam ipſam docendi Methodum in omni diſciplina perſpicuitate & efficacia validiſſimam, ſi malorum notatione & oſtenſione, bonorum rationes inſinuentur ac concilientur, adeoque è contrariis contraria colligantur.* Quod ad næuos Taciti attinet (*cacitatem dico in negotio Prouidentia, ſiniſtrum de Chriſtianis iudicium, de Iudaeorum rebus fabulas*) nemo opinor tam abſurdus erit, quin ſponte intelligat, *Tacitū, quotieſcunque commendatur*, cum exceptione paganiſmi (intelligo autem & quos impreſſit paganiſmus ſcriptis, proprios quaſi characteres) commendari. quamquam in *tertio* ſiue *rebus Iudaeorum* nil mirum eſt *Tacitum* aberraſſe, ſicut oſtendit 3. *de rep. Hebr* 4. doctiſſimus *Cunaus.*

I. H. B.

I. H. B. ORATIO
DE
C. CORNELII TACITI HISTORIA, AC multa ſcribendi arte iudicioque.

Habita an. 1636. cum Annalium Taciti priuatam interpretationem auſpicaretur.

QVI rerum geſtarum memoriam poſteris tradidere, Auditores, non paucis ſemper vel conflictati difficultatibus, vel abrepti eſſe erroribus deprehenduntur. Cum enim in curanda publicorum monumentorum fide, non eadem ſit omnium ætatum induſtria aut conſtantia; & vero rerum humanarum plurima non in cortice videri, ſed quæri in medulla, nec tam facie inſpecta poſſint agnoſci, quam ex umbra debeant interdum conie-

ctari: ideo primum ex inueſtigatione veri laborem ſcriptoribus naſci exiſtimandum eſt. Quo cum accedit ex actionum indole orta diuerſitas, fit adeo, ut nec omnibus ita videantur geſta, quæ ita geſta ſunt, & ab ingenio cuiuſque ac captu formam non vnam ac habitum nonnulla nanciſcantur. Quæ res miram ſæpe ſcenam exhibet: dum nonnulli de peregrinis, vt de domeſticis, autumant; alii de iiſdem nihil minus quam eadem produnt; quidam ipſa ſequioris ſententiæ fuga, ac iudicii, cui impares ſunt, affectatione, in culpam feruntur. Nam de iis nihil attinet dicere, qui, cum temeritate potius rerum geſtarum monumentis incidant, quam ad ea ſobrio moderatoque judicio accedant, id plerumque ſatagunt, vt quo, quemadmodum, progreſſi ſint aut progreſſuri, & ipſi dubitent denique quærantque, & alii neſciant. Illud ſatis conſtat, à iudicii rectitudine, ex qua cètera in hoc negotio pendent, & labi quoſque facile, &

deflecti nonnunquam cordatiſſimos poſſe. Interuenit fors leuiſſimæ cujuſdam rei ignoratio: adeſt credulitas, variis artibus ipſiuſque ſæpe modeſtiæ nomine bonis quibuſque conciliata: ſolicitat ingenii cura ac eruditionis, cuius ſuauiſſima eſt, qua obrepit, faſcinatio: denique ſe vbique ferme inſerunt illi ab omnibus libris proſcripti, nec non admiſſi tamen aut retenti callidiſſimi rerum mangones, amor & odium. Quorum cauſſas, etiam cum non recentes, etiam cum nullæ ſunt, quiſque ſibi approbat aut invenit. Hæc, inquam, omnia & ſingula, vt valida ſunt ad abducendum à vero ſcriptoris iudicium, ita veterum recentiumque pleroſque impulere nonnunquam, vel in devia ſubduxere. Niſi quod vnus omnium ea in re & abſoluit conatus & curam eſt ſupergreſſus. Is eſt C. Cornelius Tacitus, cuius nec ſublimius quidquam iudicio aut rectius, nec eloquentia grauius, nec rotunditate decentius, nec vbertate

fertilius tota gentilium habet eruditio. Adeo non hiſtoriæ tantum dignitatem perfecit, ſed menſuram omnis ferme ſapientiæ, qua hominibus licet, expleuit. Qua de re quædam paulo altius hic repetere nobis conſtitutum eſt. Quamquam enim nec laudes ſummi auctoris noſtra capere tenuitas, nec præſtantiam explicare ullius poſſit eloquentia, ſuperuacanea tamen videri non debent, quæ veluti quædam initia quoquo modo poſſunt ad interiorem nitentes prudentiam juuare aut commonefacere. cum & ſera hic plerumque, quanquam ſollertibus ingeniis, ſua cuiq; induſtria per vſum magiſtra ſit; & multa ideo raro aut nunquam obſeruentur, quia jam alia quædam ſunt neglecta, quæ tanquam inſtrumenta obſeruandi intelligendique ac adminicula, ante cetera fuerãt notanda. Quemadmodum autem, qui è ſubterraneis metallorum ſpecubus pretia rerum ac diuitias effodiunt, non leuibus ad eum quæſtum impenſis, machi-

nis quoque ac ſubſtructionibus, tum laboris improba contentione, ante omnia vero animo conſtanti ac fiduciæ pleno opus habét: ita niſi quis ad Cornelianum illud prudentiæ aurum inveſtigandum, viuidam & acribus habilem induſtriam, cum ingenio erecto judicioque adferat, niſi impendium temporis tantæ ſpei deſtinet; illi ego, vt totis abſiſteret ſacris, auctor fuerim. Perennes venæ, inexhauſta lucra: illæ coli, hæc excoqui volunt, ne in non minora degenerare incipiant damna ac deficere. Quotuſquiſque enim non in limine impegit, aut propter cubicula tot opum ac receptacula oberrauit? quotuſquiſque in Tacito ipſum inuenit Tacitum aut agnouit? Quot autem vel abripuit vel continuit vltra citraue metam opinio, vel maieſtas cæcauit, vel ſeueritas arcuit, vel non admiſit profunditas? Dictio tota ſublimis, ignea, & curatiore quodam ſtudio exacta. Quam cum ambitu ſtricto, membris arctis, ſolide compactam, forma

ſplen-

ſplendoreq; ſuperbiſſimo magnus artifex induit, oculos pleriſq; aſpectantium ac ſenſus præſtrinxit. Itaque cum paginam cogitas, rem voluminis exhibet; cum vocem, ſententia eſt, monitum eſt, doctrina eſt. Nemo in tam paruo corpore tam robuſtus fuit: nemo tantam vim minore molimine oſtentauit. Egregia, rara, occulta ubiq; profert, ſed prolatis plura includit. Sapientiam ubique & modis variis oſtendit, ſed magis ſub ipſa & in eius penetralibus inſinuat ac commendat. Quo artificio, proh fidem prudentium!! qua concinnitate? Verba delecta, apta, idonea, rebus paria, quodque commendationem præcipuam meretur, ſumma vbiq; felicitate promta ac parata. Textum ipſum pari ſeueritate ac rectitudine magnificum, idemque nativum. in quo cum laboris ſpeciem ſingula videantur habere, omnia rectius ingenio ſcriptoris indolique tribuuntur. Qui cum per ſeriem rem ediſſerit, nullibi magis ſæpe, quam vbi minime videtur,

narrationem connectit. cuius non tenorem minus quam materiam prodeſſe voluit. Attentum ob id memoremque ſuo iure lectorem flagitans qui vt in partibus totius uſum negotii, vt ipſas inter ſe pariter & cum tota re peruideat, vt rerũ in ſpeciem minimarum non exigua momenta, in ipſa ſæpe dictione ac ſtilo penetret, ſagacitate inſuper & bona quadam fortuna opus eſt. Cum enim, vt & occupauimus dicere, & poſtea clarius explicabimus, arcanam vbiq; prudentiam contineat, non admirabile minus eſt & arcanum iſthæc talia exprimendi ſubjiciendiq, genus. In quo, ni fallor, nemo ei niſi longo proximus interuallo eſt aut haberi poteſt. Græcorum felicitatem & ingenium à ſolo ad Latinos translatum dicas: adeo nihil eſt in toto ſermone, quod non vaſtæ illi menti, exactæ illi & pæne pluſquam imperatoriæ ſagacitati examuſſim reſpondeat. Atq; hæc eſt illa pompa, quæ antiquis tantopere probata, inuidenda huic ſcri-

ptori præconia peperit: Hæc eſt grauitas illa, quam Quirites ſui non capiebant, maximi doctiſſimique viri non ſatis mirabantur. Hoc eſt illud inſtar, ac idea, quæ & diffuſam Liuii amœnitatem lacteumque fontem, & Salluſtii ſplendorem ac numeros, & aliorum virtutes ſingulas vno eloquentiæ tenore æquare an ſuperare creditur. In qua cum aſperitatem aliqua videantur habere aut inſuetam ſpeciem, nihil maieſtati tamen officiunt, ſed eius robur abſoluunt. Quam hæc talia non minus decere exiſtimanda ſunt, quam horridę leonis exuuiæ Herculeos olim humeros ipſa monſtri ſpecie commendabant. Rurſus quemadmodum eiuſdẽ Herois cothurnos nequicquam impari aptaueris, ita ſuum iſta veluti dominum agnoſcunt, nec alienis tractari manibus, aut judicio diſſimili ſuſtinent. Quod vt in eam perfectionem in Tacito excreſceret, non oratorem modo clientibus ac patronum, ſed egregium præclarumque ciuem rei

commodauerat publicæ. cuius emolumenta, quantum quidem infeſtis virtuti temporibus res ferrent, cum laude non ſemel adminiſtrauit: re edoctus & facto, quæ poſt illa vniuerſos doceret. Quem enim fuiſſe & quantum credimus, A. cuius non conſtantia frangi, cum exhauſtas clariſſimi populi vires & bonorum ſanguinem & ingenuos ſpiritus tyrannis quotidie efferret: nec deprehendi prudentia, cum conquirendis pulcris animabus nimis ſufficeret furoris ingenium; nec auerti à ſalute communi & ſeruitutis miſeriis animi intentio, cum non oculis iam, non auribus, non præſagis gemitibus, vt erumperent, vſus ſui aut ſpacium ſupereſſet: cuius, inquã, immota mens inhiberi inter tot difficultates non potuit, quin in mediis calamitatibus eius auctoribus æternam meditaretur infamiam, quin ad poſteros de tuenda rep. in extincta iam, ſalutaria monumenta deſtinaret Quod, affulgente cum maxime noua beatioris ſæculi luce, incompa-

comparabiliter præſtitit. Reſumebat itaque ſpiritus, & toto pectore vires colligebat acris & vivida indoles: ibatque pulcherrimis paſſibus per memoriam tot rerum, quas in ipſa quiete ſua & inertia geſſerat, per diffuſam omnis vitæ factorumque intelligentiam; quę à maioribus vſque repetita, ac tot caſibus perſpectis aut obſeruatis aucta iiſdem terminis, quibus vita hominum & actiones, continebatur. Surgebant denique Hiſtoriarum primo, mox Annalium exactiſſima & perennia opera, quibus & conſilia reip. & regimen humani generis, tanquam in bibliotheca quadam omnis ſapientiæ ciuilis & armario, vtilitatibus ſæculorum & admirationi conſecraret. Quod inſtitutum vt capacem tantæ molis æmulum neminem metuit: ita rationes plerorumque ac conſuetudinem inuertit. Nullam hic laruarum congeriem, aut, inutilem ſæpe, rerum nitentium luſtrabimus ſcenam. Bellorum ſtrepitus & triumphales pompas, quibus libri

omnes, omnes annales delectationem quærunt, penes otio abundantes & feſtiuos relinquemus: Bellorum tamen iura ac vias, cum honorum inſignibus, cum Tacito expendemus, penetrabimus, diiudicabimus. Situs gentium, locorum amœnitates, claros euentus, exituſque varios, & quæcunque ſpecie vel iucunditate valida, aliunde petemus, cum ad ea diuerti commodum erit: ex hoc ſcriptore ingeniorum temporumq; ſapientiam, & interiora principatuum, ſucceſſuſque ac fata rerum conquiremus ac pertractabimus. Introſpecturi res primo aſpectu leues, minimeque fecundas: ſed quæ ad maximarum nobis momenta (quod diuinitus ab ipſo Auctore monetur) viam ſternent: quas, ſi clarius agendum eſt, & ipſas continent. Punicæ Romanæque acies intra ſcriptoris artem & ingenium ferme ſubſiſtunt, in ſuis ſibi campis placent, hic ſe efferunt, hic exultant: mœſta hæc & triſtiora rerum lætiſſimo prouentu in omne æuum diffun-

iffunduntur. Manet eadem ſpecies ac
imilitudo: ex cujus occurſu quiſque
e ac ſua velut in ſpeculo agnoſcit,
quiſque docetur, laudatur, arguitur.
dque non in aperta tantum & obuia
actorum facie: ſed per abdita quæque
eceſſuum, per anfractus actionum &
contextus, per omnem honeſti turpi-
udiniſque ambitum, per noxæ com-
nodique latentes plerunque ſemitas
nſtrui hic datur ac perfici. Quæ rariſ-
imi mortalium per ſe capiunt, aut in-
ſitata ac cæleſti prudentia ipſi ſibi di-
ctant, Noſter autē ſine exemplo men-
e ac ſtilo eſt complexus. Iam primum
ſupremam ſibi legem ipſum fixiſſe ap-
paret, nihil vile & ad vitam inefficax
mmiſcere. Quod ut Hiſtoricum in-
primis ornat, ita à ſolo expectari Phi-
loſopho poteſt. Cuius eſt de actioni-
bus hominum ac vtilitatibus ſenten-
tiam ferre, & ad eas omne ſtudium,
ſcripta omnia exigere. Quo neglecto
otioſis narratiunculis ſeriæ expoſitio-
ni locum adimi aut fœdari ſeriem ne-
d. 6 ceſſe

ceſſe eſt. vitio vt ſatis frequenti hodie, ita decori ſpeciem apud incautos habente. Itaque hiſtorias nonnulli tanquam pueris ſcribunt aut mulierculis, nonnulli tanquã fabulas legunt. Quibus ſi Caſſianum illud, de fine cuiuſq; negotii ſcitum occineres, dubitare primo inepti mortales & temporis prodigi inciperent, dein neſcire. Cuius ne quid ſimile cuiquam hic eveniat, proſpectum eſt opinor capacibus ingeniis à ſcriptoris tanti dexteritate. Quid enim ille inconſultum, quid alienum narrat? Imo quid omnino narrat tantum? cũ ſenſus omnes, omnia loquendi genera neſcio quid πρακτικὸν vbique præferant; cum informare vel referendo ſoleat: cum factorum vſum ab eorundem notitia ac cognitione nunquam ſeiungat. Quam nec obſcuram vlla ex parte aut imperfectam eſſe ſinit. Vnde initia rerum ſtructa, quæ occaſio & cauſſæ, rationes progreſſuum ac vias, euentuum æqua aut iniqua, quid debitum ſiniſteritati ac pruden-
tiæ,

tiæ, quid fato & caſibus interruptum turbatumue, denique animata viuaq; actuum imago velut in tabella exprimitur vbique & proponitur. Quis deprædicet ſatis hanc induſtriam? quis item illam? cum in origines intimas ac vltimos rerum fontes ſeſe porrigit oratio; cum parum tradidiſſe ſibi ſummus doctor videtur, ſi tradendum aliquid ſuperſit: cum in auctoritatem doctrinæ habet, nihil erroribus, aut quæ copioſe apud Politicos ſubnaſcuntur, interpretamentis relinquere. Idem qui, cum ratio operis ac inſtitutum fert, aut grauitatem res poſtulat, tanquam ex auguſto tribunali incorruptiſſimus judex ſeueram & idoneam pronunciat ſententiam. Cuius ideo nec tempus certum nec locum ſibi præſcribi patitur. niſi quod vbique in tempore, vbique in loco certitudo mera eſt & concinnitas: ſive ille iudicia præmittit narrationi, ſiue continuat ac includit, ſiue explanationi pondus ſubiicit. Quod cum & ali-

quando ſuſpendit aut differt, vere ad priſcam illam ſeu modeſtiam ſeu circumſpectionem accedit, qua non liquere ſibi, in cauſſis dubiis judices teſtabantur. Id quod hiſtoriarum conditori non in vltimis habendum. cuius eſt, nihil veritati detrahere vſquam aut officere. Igitur temeritatis notatur, qui in ambiguis facile pronunciat; malæ fidei, qui rem dubiam vel pro certo affirmat, vel pro plano tranſmittit aut negligit. Quamquam mirificam, & ad argumentum ſui ingenii ſat efficacem, inter hæc præcipitia rationem ac medium quaſi iter, ingreditur Noſter: cum tutiſſimo coniecturarum aliquot nomine, vna earum & quid ſentiendum ſit, ceu Politicus, oſtendit, & varietate, vt Hiſtoricus, diſſimulat. Ne aut iudicare ſine monumentis, aut in factorum nube videatur cæcutire. quod ſimplicitatis videri poſſit ac imprudentiæ. Ceterum rectius hanc prudentiæ partem in rem præſentem reiecerimus: vbi & ſub exemplis clariſſime hæc expediri,

pediri, & quomodo nullum varietatis iſtius membrum, etiam cum amouendum à ſcriptoris arcano judicio eſt, etiam cum præter ſpeciem, quam diximus, nihil videtur habere, ſine vſu ſit, oſtendi poteſt. Dicendum jam aliquid eſſet, de narrationũ ipſarum artificio, & quam eleganter Græci vocant, *οἰκονομία*, illa peculiari, illa latẽte, & ad vſum ex aſſe facta; vt & de arcana interiorique docendi inſtruendique ac judicandi ratione; tum de ſimilibus nonnullis; niſi ea eſſet talium ratio, vt obſeruari facilius, perſpectis meditatiſq; probe ſingulis, nec minus contentione ex arte & judicio inſtituta, ac pertendi induſtria poſſint, quam verborum ſubtilitate deduci aut explicari. Dudum enim nos vocat præcipuum maieſtatis Cornelianæ inſtar ac ſpecimen; denſitas illa, inquam, &, vt ſic dicam, complexus ſapientiæ multiplicis, ſiue ſapientiam in ſe collectam & ſuo ore loquentem dicere malumus, dignum certe nomen vix aſſignabitur.

Inter

Inter cetera, quibus diuinum Stagiritæ ingenium cenſeri viſum eſt, interpretes numerant, copiam ſenſuum ſententiarumque & cumulum, id quod in illo philoſophandi genere ac ſeuerioribus Muſis facilius ſane & commodius poterat locum habere. Eam tamen ipſam laudem quis in Noſtro requiret? quis tanta vbertate quæret, aut inuentam, quanta eſt, capiet? Nobili acie & aquilina opus eſt, ad ſuſtinendum hunc ſplendorem, hunc diem, hos, quibus vere magna ingenia explorantur, ignes. cum ex vno radio multiplex & velut numerari metuens offuſa proſpectui lux oculos laceſſit & fatigat mentem: cum ſub uno effato tot alia, ſub paucis rebus tot maiores emicant. Niſi quod ſplendorem ſuum nonnulla minantur potius apud recte ſuſpicantes, quam primum intuentibus oſtendunt. Igitur non videndum modo quod adeſt, ſed eruendum quod ſubeſt. Ubique enim & illud agit, quod inſtituit; & aliud tamen innectit, quod

cum

cum diuerſum à re ipſa ſit, ſine eo tamen rem intelligi noluit. Habet nimirum hoc ſolida fundataque eruditio, vt vbique ſibi occurrat, vt vbique, cum modo tamen & fructu, tantarum rerum fruges exſplendeſcere jubeat, quantas in ſuam ſibi vaſtitatem collegit. Quid enim fuit vſquam aut cogitari potuit, quod lateret Noſtrum, de quo parum perite & exacte judicaret? Ingenia rerum ac naturam nemo tali acumine penetrauit, nemo tali concinnitate ad vſum & lucem tranſtulit. Animorum præſertim prudentiſſimus & humanarum molitionum conatuumque ad miraculum ſciens. Semel hic monendum eſt, non exiguum in hoc Auctore, vt & in omni vitæ ſapientia eſſe momentum, perſpectas habere in plerorumque euentuum ſimilitudine mentes, habituſque animorum, & cogitationum ſolitas in iiſdem rebus viciſſitudines. Hinc fontes imperandi regendiq; multitudinem detecti, hinc conſilia in futurum præcepta, hinc natæ per-

tæ perſonarum deſcriptiones accuratiſſimæ, ex quarum vna plurium ſæpe rerum momenta petantur, quam ex integro præceptionum libello. Huic perſpicaciæ debemus deprenſas paſſim artes dominationis ac fraudes, & occulta aulæ, quæ egregie Tacitus in apricum protrahit. Atque hic ſi vellem orationi indulgere, vereor, ne dum ad ſingula reſpicerem, vniuerſa nunquam exhaurirem. Communiſſima noſtra ætate regiminis forma principatus eſt. De eo multa multi; aliqui præclara, aliqui ſubfrigida, aliqui imperfecta. omnia autem & abſolute & grauiter & vtiliter complexus eſt Tacitus. Idem qui de aularum bonis prauiſque, proſperis vel aduerſis omni commentariorum mole opulentius peregit. Denique ſi cui ſcire curæ eſt, quid interſit inter hunc & Politicorum vulgus, primum quidem vix tulerim tam indigne eum comparari; rem tamen ita æſtimari poſſe auctor fuerim, ſi Apellis alicuius aut Protogenis tabulæ proponan-

ponantur. Accedent pictorum plurimi: alii ne judicare quidem de impenſiſſimo artificio poterunt. nam quid præclarum in eo eſſe? figurā ubiq; notam aut obuiam, præter obſcuritatem & implexum quiddam, noui nihil habere. hic addi aliquid debuiſſe, hic lucis pluſculum, ibi parum. Modeſtiſſimi ſecum murmurabunt, ſibi quidem hoc artis hactenus non liquere. Plane quod Noſtro vſu venit. Nemo tamen, arbitror, cordatiorum, ob aliorum imperitiam, præſtantiſſimo artifici artem denegabit potius, quam ſoli ſine exemplo & comparatione adſcribet. Sed enim iſthæc cuilibet penſitanda relinquo. Redeundum enim eſt in viam. Quam priuſquam decurramus, obiter delectationis alicuius, & quæ lectores condimenta laborum hic maneant & diuerticula, mentio eſt facienda. Inter quæ orationes illæ, variis de rebus inſtitutæ quam diſertæ ſunt, quam graues, quam fecundæ! ſeuerum aliquem & priſca illa maieſtate grauem ſenato-

rem,

rem, ſententiæ loco in curia perorantem audire mihi videor, quoties in illas incido. Adeo grande quid ſpirant omnia, & cum ſua ſibi magnitudine veluti certant: exhauſta ſemper, quam pertractant, materiæ profunditate Argumenta valida, pulcerrimo aggeſtu cumulata ac diſpoſita: rationes intimæ, penetrantes: pondera quouis ſtimulo acrius fodientia animum. Sed & lineas tantarum rerum duxiſſe nonnunquam operis inſtituto ſatis eſt. In quo, mira felicitate, pauciſſimis verbis non materiæ tantum amplitudinem oſtendit, ſed abſque omni eloquentiæ affectatione eius exornandæ rationem inſinuat. Omitto varia omnis prudentiæ ſcita opportuna ſubinde illuſtratione animis legentium conciliata: tum renouatam paſſim non ſine vtili interpretatione veteris æui memoriam. Quod ſi perfunctorie fiat aut inconſiderate, oneri ac impedimento eſſe incipiunt, quæ non niſi ornamenti locum in hac ſcena poſſunt ſuſtine-

re.

re. Jam vbi à rerum ordine paululum declinat, quod raro, & minime ex quæſito facit, nihil aptius, jucundiuſque reperire eſt vſquam ac videre. Neceſſarii ſpeciem induunt, quæ vt requiem animo aliquam præbeant, dignitati tamen rerum & loco exigenti reſeruantur. Tum ea plerunque diſcuntur, quæ cum ad omnem operis cœpti hiſtoriam hoc pacto conducant, lætum ac bonæ ſpei plenum ad reliqua lectorem dimittunt, aut ad priora exactius imbibenda revocant. Cuius rei nec prouida circumſpectio paucis explicari, nec fructus laudari iam totus poteſt. Nec enim ignorare quemquam velim, vnum illud mihi hac oratione quæſitum eſſe, vt præguſtum aliquem tanti Auctoris ſimplicioribus præberem: ne in grauiora opinione cuncta delati, aut obhærendum ſcopulis, aut indicata difficultate ſine obfirmato aduerſus eam animo ingrediendum hoc iter poſſent exiſtimare. Claudemus igitur pariter ac repetemus dicta, gra-

vißimi

viſſimi in politiore litteratura viri, deque Tacito Noſtro optime meriti, judicio. Sic autem ille: *Non eſt in Græcis aut Latinis, & fidenter dicam, non erit, qui prudentiæ omnigenæ laude huic ſe comparet: adeo non veremur, ne quis anteponat. Singulæ paginæ, quid paginæ? ſingulæ lineæ dogmata, conſilia, monita ſunt: ſed breuia ſæpe aut occulta, & opus quadam ſagace mente ad odorandum & aſſequendum. ſicut non omnes canes feram, non item lectores virtutes huius doteſq; aut indagent, aut captent. Viris opus eſt, & cum ingenij quadam ſubtilitate, judicii rectitudine: &, vt verbo dicam, naturæ bonitate. Qui non habet, me audiat, & alias res agat.* Quod tanti viri judicium ne ſero credatis, ſua cuiq; cautio aut induſtria præſtabit. DIXI.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA